ORBIS ROMANUS PICTUS.

CHRESTOMATHIA LATINA
IN USUM TIRONUM SCRIPTA.

РИМСКІЙ МІРЪ ВЪ КАРТИНКАХЪ.

НАЧАЛЬНАЯ ЛАТИНСКАЯ ХРЕСТОМАТІЯ.

СОСТАВИЛИ
А. Адольфъ и С. Любомудровъ.



ЧАСТЬ ВТОРАЯ.

Въ первомъ изданіи Учен. Ком. Мин. Нар. Просв. одобрена въ качествѣ учебнаго пособія для гимназій и прогимназій.

МОСКВА.
2-Е ИЗДАНІЕ К. ТИХОМИРОВА.
1904.

ORBIS ROMANUS PICTUS.

CHRESTOMATHIA LATINA


IN USUM TIRONUM SCRIPTA.

РИМСКІЙ МІРЪ ВЪ КАРТИНКАХЪ.

НАЧАЛЬНАЯ ЛАТИНСКАЯ ХРЕСТОМАТІЯ.

СОСТАВИЛИ

А. Адольфъ и С. Любомудровъ.



ЧАСТЬ ВТОРАЯ.

Въ первомъ изданіи Учен. Ком. Мин. Нар. Просв. одобрена въ качествѣ учебнаго пособія гимназій и прогимназій

Цѣна 60 коп.

МОСКВА.
2-Е ИЗДАНІЕ К. ТИХОМИРОВА.
1904.

Дозволено цензурою. Москва, 24 сентября 1903.



МОСКВА.
Типографія Г. Лисснера и А. Гешеля.
Воздвиженка, Крестовоздвиж. пер., д. Лисснера.



ПЕРЕЧЕНЬ ГРАММАТИЧЕСКАГО МАТЕРІАЛА*)

съ указаніемъ соотвѣтствующихъ статей

въ Progymnasmata и Orbis Romanus pictus.

Prog. 1 и 2.	Спряженіе глагола esse и сложныхъ съ нимъ. Синт. Правило о послѣдовательности временъ. Косвенный вопросъ.
„ 3 и 4.	Coni. act. и pass. 1-го спряженія. Синт. Предложенія съ ut, ne и quum.
„ 5 и 6.	Coni. act. и pass. 2-го спряженія.
„ 7 и 8.	Coni. act. и pass. 4-го спряженія.
„ 9 и 10.	Coni. act. и pass. 3-го спряженія.
Orb. I—III**).	
Prog. 11 и 12.	Глаголы 3-го спряженія на io. Спряженіе отложительныхъ глаголовъ.
Orb. IV—X.	
Prog. 13 и 14.	Infinitivus. Синт. Употребленіе неопред. наклоненія. Accusativus cum infinitivo и nominativus cum infinitivo.
„ 15 и 16.	Participium. Coniugatio periphrastica. Синт. Употребленіе причастій. Ablativus absolutus.
Orb. XI—XXX.	
Prog. 17 и 18.	Спряженіе глаголовъ volo, nolo, malo и fero со сложными.
„ 19 и 20.	Спряженіе глаголовъ eo и fio со сложными и недостаточныхъ глаголовъ.
Orb. XXXI—L.	
Prog. 21.	(Статья на примѣненіе грамматическаго курса).

*) Прохожденіе этимологіи предполагается по учебнику латинской грамматики; синтаксическія же правила даны ниже въ приложеніи.

**) Статьи изъ Orbis Romanus pictus заключаютъ въ себѣ весь пройденный въ предъидущемъ грамматическій матеріалъ.

УКАЗАТЕЛЬ СТАТЕЙ

въ Orbis Romanus pictus.

Стран.

Рожденіе и воспитаніе Ромула и Рема. I—II (съ рис.) 19

Основаніе Рима III. 20

Похищеніе сабиняковъ. IV (съ рис.) 21

Присоединеніе къ Риму Альбы Лонги. Гораціи и Куріаціи. V (съ рис.) 22

Война съ этрусскимъ царемъ Порсинной. Подвигъ Горація Коклеса. Неустрашимость Муція Сцеволы. Бѣгство Клеліи. VI—VIII (съ 2 рис.). 24

Удаленіе плебеевъ на Священную гору. IX—X. 28

Месть Коріолана. X—XII (съ рис.). 29

Геройская гибель Фабіевъ. XIII—XIV. 32

Война съ эквами. Призваніе въ диктаторы Цинцинната. XV—XVI (съ рис.). 33

Нашествіе галловъ. XVII—XX (съ 2 рис.). 37

Самопожертвованіе Марка Курція XXI (съ рис) 43

Храбрость и строгость Тита Манлія Торквата. XXII—XXIII 44

Смерть Публія Деція Муса. XXIV 46

Война съ самнитянами. Пораженіе римлянъ въ Кавдинскихъ ущельяхъ. XXV—XXVII (съ рис.). 48

Война съ эпирскимъ царемъ Пирромъ. XVIII—XXIX 54

Доблестныя качества Фабриція. XXX (съ рис.). 57

Война съ карѳагенянами за Сицилію. Патріотизмъ Регула. XXXI. . . 59

Война съ Ганнибаломъ. Медлительность дектатора Квинта Фабія Максима. XXXII—XXXIII (съ рис.) 61

Война съ Ганнибаломъ. Взятіе Марцелломъ Сиракузъ. XXXIV—XXXV (съ рис.) 64


Маркъ Катонъ Цензоръ. XXXVI. 67

Братья Гракхи. XXXVII—XXXVIII. 69

Гай Марій и Луцій Корнелій Сулла. Начало междоусобныхъ войнъ. XXXIX—XLI (съ рис.) 73

Стран.

Гней Помпей Великій. XLII (съ портр.) 79
Гай Юлій Цезарь. XLIII—XLIV (съ портр.) 82
Маркъ Туллій Цицеронъ. XLV (съ портр. и рис.) 87
Императоръ Октавіанъ Августъ. XLVI (съ портр.) 90
Императоръ Неронъ. Пожаръ Рима. Преслѣдованіе христіанъ. XLVII (съ рис.) 93
Императоръ Титъ. Взятіе Іерусалима. Изверженіе Везувія. XLVIII (съ рис.) 95
Императоръ Константинъ Великій. Торжество христіанства. XLIX (съ рис.) 98
Германцы. Паденіе Западной римской имперіи. L 100



PROGYMNASMATA.

PROGYMNASMATA.

1.

1. Vir bonus est, qui prodest, quibus potest, obest nemĭni. 2. Avāro, etiam si multa habēbit, semper deĕrit alĭquid. 3. In tua causa iudex esse non potes. 4. Non omnia possŭmus omnes. 5. Ades amīcis: amīci tibi adĕrunt. 6. Apud Romānos in bello exercitui consŭles praefuērunt. 7. Nunquam Romānis in adversis rebus constantia anĭmi et amor patriae defuērunt. 8. Nobĭles Romanōrum adolescentes saepe cum patrĭbus in Foro et iudiciis adfuērunt, ubi clarissĭmos oratōres audiēbant. 9. Vetus Roma a mari circĭter sedĕcim milia passuum abĕrat. 10. Historia antiquissimōrum tempŏrum fabŭlis ornāta est, quae longe a veritāte absunt. 11. Si certamĭni interĕris, nihil tibi timor prodĕrit: nam semper quaerit mors eos, qui maxĭme timent, audacia pro muro habētur. 12. Potest etiam sub sordĭda veste sapientia latēre.

2.

1. Saepe scire non possŭmus, quid nobis prosit, quid obsit. 2. Senex, quum arbŏres serit, nescit, cui labōres sui profutūri sint. 3. Dic mihi, quis tibi amīcus sit: ego dicam, qui sis. 4. Homo quidam sapiens, interrogātus, quid esset amīcus: „Unus, inquit, anĭmus in duōbus corporĭbus“. 5. Semper cogĭta, quomŏdo non tibi, sed aliis prodesse possis. 6. Fortes duces nunquam interrogavērunt, quantae hostium copiae essent, sed ubi essent. 7. Quis nescit, quam parvo natūra homĭnis contenta sit, sed homĭnum avaritia nullos habet fines. 8. Historia patriae docet nos, unde sit initium popŭli nostri, qui maiōres nostri fuĕrint, quid in bello et in pace potuĕrint. 9. Viri docti ex

erūtis ossĭbus cognovērunt, quae animalia in terra ante diluvium fuissent 10. In sacris libris Deus nobis aperuit, quid nobis post mortem futūrum esset.

3.

1. Deus creāvit nos, ut Eius opĕra considerarēmus Eumque amarēmus. 2. Semper cogitāre debēmus, quanta dona Deus nobis donavĕrĭt. 3. Noli peccāre, ne mala conscientia vexēris et turbēris. 4. Omne anĭmal opĕram dat, ut se conservet. 5. Multa genĕra avium, ut frigŏra vitent, e nostris regionĭbus in calidiōres terras autumno avŏlant. 6. Mercatōres saepe nulla pericŭla timent, ut divitias sibi parent. 7. Multi laudant alios, ut ipsi ab iis laudentur. 8. In iudiciis multum valet, quanta cum diligentia causa a iudĭce explorāta sit. 9. Boni ducis officium est curāre, ne milĭtes sui inopia frumenti labōrent. 10. Omnĭbus notum est, quantopĕre Romāni bellĭcas artes amavĕrint. 11. Quis non audīvit, quam magnifĭcis aedificiis Roma ab imperatōre Augusto ornāta esset. 12. Quum Hannĭbal Alpes superavisset, Romāni exercĭtum misērunt, ut cum eo pugnārent. 13. Quum ab Hannibăle Italia vastarētur, Romāni omnĭbus vĭrĭbus ei resistĕre tentābant. 14. Carthaginienses, quum a Romānis superāti essent, aequas condiciōnes pacis impetrāre non potĕrant. 15. Hannĭbal, quum domo expulsus esset, ad reges Asiae confūgit, ut eos ad bellum cum Romānis incitāret.

4.

1. Богъ далъ людямъ заповѣдь, чтобы они любили другъ друга. 2. Отечество требуетъ отъ насъ, чтобы мы любили его больше жизни и поддерживали его въ опасностяхъ. 3. Извѣстно, насколько дурными примѣрами развращаются даже хорошіе нравы. 4. Гордые люди часто не видятъ, какія опасности ихъ окружаютъ. 5. Никто изъ насъ не можетъ знать, что предназначила ему судьба. 6. Мы должны стараться, чтобы хорошо

употребить время, данное намъ для жизни. 7. У древнихъ римлянъ былъ такой[1]) обычай, чтобы сожигать тѣла усопшихъ. 8. Еще и† теперь мы можемъ судить, какими великолѣпными зданіями былъ украшенъ римскій форумъ. 9. Когда Ганнибалъ въ двухъ[2]) сраженіяхъ[2]) побѣдилъ римскія войска, то римляне увидѣли, въ какой опасности находится ихъ отечество. 10. Когда Карѳагенъ былъ завоеванъ, то Сципіонъ получилъ тріумфъ.

5.

1. Deus nobis interdum pericŭla mittit, ut de infirmitāte rerum humanārum admoneāmur. 2. Sapiens quidam, interrogātus, quid habēret homo pessĭmum, quid optĭmum, respondit: linguam. 3. Homini imprudenti et garrŭlo vulgo dicĭmus: si tacuisses, sapiens mansisses. 4. Quis nescit, quam saepe summa ingenia in occulto lateant. 5. Plurĭmum valeat ubīque auctorĭtas probōrum homĭnum. 6. Corpus anĭmo, cupiditātes ratiōni pareant. 7. Lex brevis esse debet, ut facĭle ab imperĭtis teneātur. 8. Iudĭces reos interrŏgant, quibus causis ad scelĕra commōti sint. 9. Ne timuerĭtis vulnĕra, mortem, si ad defensiōnem patriae postŭlabimĭni. 10. Ante proelium duces Romanōrum anĭmos milĭtum confirmābant, ne impĕtu hostium terrerentur. 11. Urbs Roma delēta esset, si Hannĭbal statim post pugnam Cannensem copias ad eam movisset. 12. Quum Carthāgo a Romānis incendio delēta esset, nulla restābat civĭtas, quae eis immināret.

6.

1. Богъ создалъ солнце, чтобы оно свѣтомъ своимъ наполняло весь міръ. 2. Религія христіанская убѣждаетъ насъ, чтобы мы не боялись смерти. 3. Кто не знаетъ, какое значеніе какъ въ ученіи, такъ и† въ жизни имѣетъ память. 4. Всѣ должны заботиться о† томъ†, чтобы во всемъ соблюдалась мѣра. 5. Въ древнія времена люди часто спрашивали оракуловъ, какая

---

[1]) is. — [2]) твор. п. безъ предл. — † не переводить.

участь ихъ ожидаетъ. 6. Трудно пересчитать, сколько войнъ выдержалъ римскій народъ. 7. Одинъ римскій писатель разсказываетъ, какими знаменіями устрашены были римляне въ началѣ войны съ Ганнибаломъ. 8. Когда Ганнибалъ весной двѣсти восемнадцатаго года двинулъ войско черезъ Апеннины, то на походѣ потерялъ много воиновъ и самъ лишился одного глаза. 9. Ганнибалъ передъ боевой линіей помѣщалъ слоновъ, чтобы они самымъ видомъ приводили въ ужасъ непріятелей. 10. Если бы Кареагенъ не былъ разрушенъ римлянами, то власть ихъ надъ другими народами никогда не была бы обезпечена.

7.

1. Bene dormīvit, qui non sentit, quam bene dormivĕrit. 2. Vix cogitāre possŭmus, quantis pericŭlis vita nostra circumventa sit. 3. Vita homĭnis miserrĭma esset, nisi tempŏre dolōres mollirentur. 4. Nullus dolor est, quem non longinquĭtas tempŏris molliat. 5. In iudiciis nostris semper aureum illud praeceptum observāre debēmus: audiātur et altĕra pars. 6. In nonnullis rebus rectius iudicavissēmus, si totam rem audivissēmus. 7. Leges scriptae sunt, ut salūti omnium servīrent. 8. Amor patriae monet nos, ne privāto commŏdo plus, quam commūni salūti serviāmus. 9. In bello Hannibălis apparuit, quam bene res publĭca Romanōrum concordia civium munīta esset. 10. Cum Scipio in Afrĭcam venisset et Carthagĭnem obsedisset, sero Carthaginienses intellexērunt, quam imprudenter Hannibălis consilia non audivissent.

8.

1. Природа требуетъ отъ человѣка, чтобы онъ питался трудомъ. 2. Мы не можемъ даже и† представить, какъ много тайнъ природы мы еще не знаемъ. 3. Полезно бываетъ иногда припомнить, что̀ хорошаго услышано было нами отъ другихъ. 4. Благоразумный человѣкъ старается о томъ†, чтобы благополучно окончить начатое дѣло. 5. Многія страны были бы гораздо

холоднѣе, если бы горы не защищали[1]) ихъ отъ холодныхъ вѣтровъ. 6. Когда Сципіонъ сошелся съ Ганнибаломъ при Замѣ, то послѣдній[2]) просилъ мира у римскаго полководца. 7. Когда была окончена война съ кароагенянами, то ни одинъ народъ уже не могъ быть опасенъ римлянамъ. 8. Извѣстно, какъ жалко окончилъ жизнь Ганнибалъ, злѣйшій врагъ римлянъ. 9. Когда римское войско останавливалось на походѣ, то полководецъ заботился о томъ †, чтобы лагерь былъ укрѣпляемъ рвомъ и валомъ. 10. Римляне никогда не стали[3]) бы владыками земли, если бы они особенно не гнались[3]) за славой.

9.

1. Nihil est in rebus humānis, quod sine voluntāte Dei gerātur. 2. Nihil fere est tam difficile, quod non supĕret et vincat mens humāna. 3. Qui sibi hoc sumit, ut corrĭgat mores aliōrum, is diligenter spectāre debet, ne ipse peccet. 4. Sapiens quidam ad amīcum scribit: ante senectūtem curāvi, ut bene vivĕrem, in senectūte curo, ut bene vita decēdam. 5. Ut de fabŭla, sic de vita homĭnis interrogātur, non quam diu, sed quam bene acta sit. 6. Bene esset, si ab omnĭbus dicerētur id, quod sentītur, sentirētur id, quod dicĭtur. 7. Nescīre, quid ante nos egĕrint homĭnes, est in tenĕbris vivĕre. 8. Multae res a popŭlo Romāno gestae nobis ignōtae essent, nisi scriptōres eas memoriae prodidissent. 9. Illud praecipue in historia Romanōrum spectāre debēmus, per quos viros et quibus artĭbus res publĭca eōrum crevĕrit. 10. Nisi terra undĭque aëre circumfūsa esset, non possent in ea animalia vivĕre.

10.

1. Богъ далъ человѣку душу, чтобы она управляла тѣломъ. 2. Мы часто видимъ, какъ дурное общество портитъ даже хорошихъ людей. 3. Когда побѣдишь свой гнѣвъ, тогда только поймешь, какой сильный врагъ побѣжденъ тобой. 4. Для того,

[1]) imper. coni. — [2]) hic. — [3]) plusq. coni.

чтобы скоро побѣдить врага, необходимо долго готовиться къ войнѣ. 5. Римскіе историки разсказываютъ главнымъ образомъ о † томъ †, сколько и какія войны римляне вели съ другими народами. 6. Римляне хорошо знали, какими средствами удерживается владычество надъ покоренными народами. 7. Римляне, когда ихъ оружіемъ были побѣждены почти всѣ народы, дали имъ свои законы. 8. Если бы римляне не утратили доблестей своихъ предковъ, то ихъ владычество не такъ легко было бы уничтожено варварами. 9. Когда изъ Рима былъ изгнанъ послѣдній царь Тарквиній Гордый, то выбраны были два консула, чтобы управлять государствомъ. 10. Ганнибалъ принялъ ядъ, чтобы не попасть въ руки римлянъ.

11.

1. Leōnes aliaeque multae ferae bestiae ignem fugiunt. 2. Multa animalia, quae ante diluvium fuĕrant, nobis ignōta essent, nisi ossa eōrum e terra effoderentur. 3. Is intellĕget, quanta sit sapientia Dei, qui pulcherrĭma opĕra Eius perspexĕrit. 4. Infelīces essent homĭnes, si assequerentur omnia, quae cupivērunt. 5. Corpus nostrum morĭtur, non moriētur anĭmus. 6. Improbōrum consuetudĭnem fugiāmus, bonōrum mores imitēmur. 7. Casu honōres et divitiae saepe homĭni eripiuntur, virtus et probĭtas nunquam eripientur. 8. Quidquid praecipĭtur, breve sit, ut cito percipiātur et facilius memoria teneātur. 9. Medĭcus prudens aegrōtis nunquam spem eripiet, sed desperantĭbus novam semper iniciet. 10. Nisi multae urbes antiquōrum populōrum direpta ab hostĭbus essent, non tam multa opĕra ingenii humāni delēta essent. 11. A veterĭbus Romānis nulla res maior suscipiebātur, nisi antea sacrificavĕrant. 12. Romāni ea loca castris capiēbant, quae copiam lignōrum et aquae suppeditābant. 13. Quum pericŭlum rei publĭcae Romanōrum imminēret, decernēbat senātus: „Videant consŭles, ne quid detrimenti res publĭca capiat". 14. Quum Romāni Carthagĭnem cepissent, multi Carthaginienses, ne vivi in manus hostium venīrent, in ignem se proiciēbant.

12.

1. Воронъ ворону глаза не выклюнетъ. 2. Старую лисицу въ петлю[1]) не поймаешь[2]). 3. Что[3]) посѣешь, то[4]) и † пожнешь. 4. Уже не разъ попадали въ яму тѣ, которые рыли ее для другихъ. 5. Разумъ учитъ насъ, что̀ мы должны дѣлать, чего избѣгать. 6. Многіе жили[4]) бы иначе, если бы всегда имѣли[4]) въ виду конецъ жизни. 7. Религія учитъ насъ, чтобы мы лучше терпѣли несправедливости другихъ, нежели сами причиняли обиду. 8. Ганнибалъ, чтобы живымъ не быть взяту въ плѣнъ римлянами, принялъ ядъ. 9. Когда Ромулъ и Ремъ были застигнуты разбойниками, то Ромулъ вырвался изъ ихъ рукъ, а Ремъ, будучи взятъ въ плѣнъ, приведенъ былъ къ царю Амулію. 10. Ромулъ и Ремъ, узнавши, что̀ сдѣлалъ съ ними[5]) и съ ихъ дѣдомъ Амулій, приняли рѣшеніе убить[6]) Амулія.

13.

1. Praeterĭtum tempus nunquam revertītur, nec, quid sequātur, sciri potest. 2. Scimus solem omnium stellārum rectōrem esse et circa solem omnes stellas movēri. 3. Constat vetĕres solem movēri et terram stare credidisse; nos autem scimus terram quotidie circa axem volvi et quotannis cursum circa solem conficĕre. 4. Terram rotundam esse atque globōsam lunae defectionĭbus probātur; terra enim semper tum umbram rotundam effĭcit. 5. Causam defectiōnum veterĭbus incognĭtam fuisse reperĭmus, nunc defectiōnes in multos annos praedīci possunt. 6. Accepĭmus, nostra aetāte ducentas viginti fere stellas errantes repertas esse; plures repertum iri credĭmus. 7. Lucem multo celeriōrem esse sono vel ex eo conclūdi potest, quod prius fulmen vidēmus, postea tonĭtrum audīmus. 8. Suam calamitātem miserrĭmam esse quis est, qui non putet? 9. Paupĕres sub paupĕre tecto saepe beatiōres esse vidēmus, quam reges et re-

---

[1]) твор. п. безъ предл. — [2]) перев. страд. оборотомъ. — [3]) = какъ — такъ. — [4]) imperf. coni. — [5]) дат. п. безъ предл. — [6]) = чтобы убить.

gum amīcos in magnificis domĭbus. 10. Constat vetĕres athlētas, priusquam in palaestra luctarentur, corpŏra oleo fricuisse. 11. Legiōnes Romānae in eum saepe locum profectae sunt, ex quo se nunquam reversūros esse arbitrabantur. 12. Hannĭbal puer, ad aram adductus, perpetuum se hostem popŭlo Romāno futūrum esse Hamilcări patri spopondisse dicitur. 13. Quum Hannĭbal Alpes transgressus esset, Romāni non putābant sibi cum eo bellum tam diuturnum tamque periculōsum fore. 14. Plerīque censent Hannibălem facĭle Romam expugnāre potuisse, si statim post pugnam Cannensem exercĭtum ad urbem duxisset.

14.

1. Всѣмъ извѣстно, что безъ твердой воли нельзя совершить ничего великаго. 2. Хотя мы часто замѣчаемъ, что время идетъ очень быстро, однако мы не всегда имъ пользуемся. 3. Что земля не стоитъ на одномъ мѣстѣ, но движется вокругъ солнца, первый доказываетъ Галилей, ученый семнадцатаго вѣка. 4. Кажется, что земля недалеко отстоитъ отъ солнца, а на самомъ[1]) дѣлѣ[1]) мы знаемъ, что разстояніе между солнцемъ и землей — огромно. 5. Извѣстно, что многіе острова были прежде горами, которыя возвышались изъ глубины[2]) моря и извергали пламя. 6. Древніе полагали, что солнце — богъ. 7. Невѣжественные люди доселѣ еще воображаютъ, что кометами имъ предвозвѣщается какое-либо несчастіе. 8. Римскіе историки передаютъ, что Ромулъ и Ремъ были воспитаны среди пастуховъ. 9. Мы знаемъ, что римлянами было основано много колоній въ земляхъ покоренныхъ ими народовъ. 10. Говорятъ, что отважные моряки уже въ древнѣйшія времена огибали на корабляхъ Африку. 11. Древніе писатели утверждаютъ, что Карѳагенъ былъ основанъ въ девятомъ вѣкѣ до Р. Х. 12. Пока былъ живъ Ганнибалъ, римляне полагали, что они никогда не будутъ безопасны отъ его козней.

твор. пад. безъ предл. — [2]) перев. прилаг. profundus.

15.

1. Terra nos nascentes excĭpit, natos alit, postrēmo mortuos gremio suo complectĭtur. 2. Sol oritūrus, priusquam ipsum radiis splendentem conspicĭmus, lucem suam in terram, nocte consopītam, effundit. 3. Pulcherrĭmus est aspectus solis, e mari surgentis; nam orbi igneo, ex undis emerso, simĭlis est. 4. Elephanti, flumen transmissūri, minĭmos praemittunt, ne maiōrum ingressu crescat flumĭnis altitūdo. 5. Elephanti, equitātu circumventi, infirmos aut fessos vulneratosque in medium agmen recipiunt. 6. Gladiatōres, in circum inducti, ut pugnārent, his verbis imperatōrem allocūti esse dicuntur: „Salve, Caesar, moritūri te salūtant". 7. Pace florente, florent artes et littĕrae. 8. Artes innumerabĭles repertae sunt, natūra docente. 9. Senectūte appropinquante, vires corpŏris semper, interdum anĭmi hebescunt. 10. Inter bonos viros amicitia facĭle noscĭtur, virtūte homĭnes coniungente. 11. Actis laborĭbus, quies iucunda est. 12. Vir sapiens, amissis omnĭbus bonis, dives manet. 13. Alpĭbus superātis, Hannĭbal in Italiam venit. 14. Versāre cum eis, qui te meliōrem factūri sunt. 15. Vires nostrae cum rebus, quas temptaturi sumus, comparandae sunt. 16. Medĭco diligenti non solum morbus aegrotantis, sed etiam consuetūdo valentis et natūra corpŏris cognoscenda est. 17. In omnĭbus rebus modus tenendus est atque curandum est, ut sit mens sana in corpŏre sano.

16.

1. Съ Божіей помощью всякая работа легка. 2. Когда тѣло умерло, душа все-таки продолжаетъ жить. 3. Часто, презрѣвъ совѣты друзей, мы потомъ видимъ, что они были хороши. 4. Когда будутъ поняты первыя причины вещей, то остальное будетъ постигнуто легко. 5. Солнце — царь и правитель нашей земли; при его восходѣ, мракъ убѣгаетъ; при его заходѣ начинается ночь. 6. При приближеніи весны птицы, улетавшія осенью въ болѣе теплыя страны, возвращаются обратно къ

намъ. 7. Въ царствованіе императора Августа въ Іудеѣ родился Іисусъ Христосъ. 8. Послѣ изгнанія изъ Рима царя народъ избралъ двухъ консуловъ и поручилъ имъ власть, которую прежде имѣлъ царь. 9. Убивъ троихъ Куріацевъ и потерявъ двоихъ братьевъ, младшій Горацій побѣдителемъ возвратился къ своимъ. 10. По взятіи и сожженіи Карѳагена римляне освободились отъ самаго сильнаго соперника. 11. Ничего не слѣдуетъ больше избѣгать человѣку, чѣмъ лѣни. 12. У одного древняго мудреца ученики, намѣревавшіеся изучить мудрость, должны были пять лѣтъ хранить молчаніе.

17.

1. Si vis pacem, para bellum. 2. Altĕri vivĕre debes, si vis tibi vivĕre. 3. Qui, quo destināvit, pervenīre vult, unam sequātur viam, non per multas vagētur. 4. Homĭnes aliēna vĭtia reprehendĕre malunt, quam sua corrigĕre. 5. Quae volŭmus, credĭmus libenter; quae sentīmus ipsi, relĭquos sentīre sperāmus. 6. Si nihil timēre vultis, cogitāte omnia esse timenda. 7. Erunt omnia facilia, si voles; si non vis, nihil facĕre potes. 8. Impellĭmur natūra, ut prodesse velīmus quam plurĭmis. 9. Multum interest, utrum peccāre alĭquis nolit, an nesciat. 10. Idem velle atque idem nolle amīci verī debent. 11. Quae hodie conficĕre potes, noli in crastĭnum diem differre. 12. Quocunque te confers, ubicunque Deum adesse sentis. 13. Occasio aegre offertur, facĭle amittĭtur. 14. Somno aufertur sensus actioque tollĭtur omnis. 15. Qualia quisque seret, talia feret. 16. Perfer et obdūra: patientia omnia vincit. 17. Sapiens quidam, quum in pompa magna vis auri et argenti ferrētur: „Quam multa non desidĕro!“ inquit. 18. Solis calor, pluvia, aër afficiunt, ut terra fructus ferat; si hae res deessent, terra fructus non ferret. 19. Quum Galli ad urbem accessissent, sacerdōtes Vestalesque virgĭnes sacra procul a caede abstulērunt. 20. Coriolānus, a tribūnis plebĭs accusātus, ad Volscos, infestissĭmos popŭli Romāni hostes, se contŭlit.

18.

1. Если хочешь быть любимымъ, люби самъ другихъ. 2. Кто хочетъ быть первымъ, пусть будетъ всѣмъ слугой. 3. Судьба дѣлаетъ надменнымъ того, кого захочетъ погубить. 4. Храбрый предпочтетъ умереть съ достоинствомъ, вмѣсто[1]) того[1]) чтобы жить съ позоромъ. 5. Если не хочешь терпѣть обидъ, не причиняй самъ обидъ другимъ. 6. Если бы всѣ желали служить общему благу, то людскія общества процвѣтали бы. 7. Ганнибалу послѣ Каннской побѣды многіе ставили въ упрекъ, что онъ предпочелъ наслаждаться побѣдой, вмѣсто того чтобы пользоваться ею. 8. Мудрый все свое носитъ съ собою. 9. Легко переносятся неудачи тѣмъ, кто надѣется на благополучный исходъ своихъ дѣлъ. 10. Привыкай дѣлать то, что выносишь съ трудомъ, пока не будешь выносить этого легко; такимъ образомъ укрѣпишь свой характеръ. 11. Захирѣетъ растеніе, которое будетъ часто пересаживаться. 12. Когда несешься съ большою быстротой, то думаешь, что самъ стоишь на одномъ и томъ же мѣстѣ[2]), а всѣ окрестные предметы бѣгутъ. 13. Когда Коріоланъ услышалъ упреки матери, онъ не выдержалъ и, забывъ объ обидѣ, примирился съ согражданами. 14. Когда въ Римъ принесено было извѣстіе о Каннскомъ пораженіи, то среди гражданъ произошло величайшее смятеніе; всѣ полагали, что Ганнибалъ тотчасъ произведетъ нападеніе на городъ.

19.

1. Quae crebro fiunt, non mirāmur, etiamsi nescīmus, qua de causa fiant. 2. Nihil sine causa fiĕri potest; omnia secundum certas leges fiunt. 3. Nisi cursus motusque stellārum secundum leges certas fiĕrent, mundus non servarētur. 4. Augusti aetate imperium Romānum ingens terrātum spatium occupāvit: saepe quae in extrēmis provinciis fiēbant, ea Romae vix audiebantur. 5. Omnes provinciae imperii Romāni paulātim morībus et lingua

---

[1]) = нежели. [2]) твор. п. безъ предл.

victōrum assuefactae sunt. 6. Lunā plenā maritĭmi aestus maxĭmi efficiuntur. 7. Saepe id, quod differtur, non perficitur. 8. Bonis quod bene fit, non perit. 9. Homĭnes quidem pereunt, humanĭtas, ad quam homo erudītur, permănet. 10. Nudi in hanc terram venĭmus nudīque abibĭmus. 11. Omnĭa, quae orta sunt, intereunt, atque eo abeunt, unde orta sunt. 12. Potest ex casa magnus vir exīre. 13. In omnĭbus rebus medio ibis tutissĭmus. 14. Qui temĕre pericŭla subībit, in pericŭlis facillĭme interibit. 15. Non facĭle ineuntis adolescentiae vitia postea virtutĭbus emendāri possunt. 16. Anni euntes semper quaedam de nobis rapiunt. 17. Quum Horatio victōri redeunti soror obviam ivisset, sponsi mortem deflens, is gladio eam transfixit.

20.

1. Все, что ни происходитъ, происходитъ по волѣ Божіей. 2. Кто будетъ помогать преступнику, тотъ сдѣлается участникомъ его преступленія. 3. Честный человѣкъ предпочтетъ погибнуть, нежели погубить отечество. 4. Прошедшій часъ не можетъ возвратиться. 5. Никто не родится мудрымъ, никто случайно не дѣлается хорошимъ. 6. Изъ ничего не выйдетъ ничего. 7. Старайся, чтобы ни одинъ часъ не проходилъ безъ пользы, ибо потерянное не возвращается. 8. Въ настоящей жизни мы терпимъ много горя, но когда-нибудь перейдемъ въ[1]) жизнь вѣчную, въ которой нѣтъ никакого горя. 9. Богъ, создавая міръ, сказалъ: „Да будетъ свѣтъ“ — и сталъ свѣтъ. 10. Въ древнія времена плѣнниковъ продавали какъ рабовъ. 11. Одна гречанка[2]), передавая сыну, шедшему на войну, щитъ, сказала: „Возвращайся съ нимъ или на немъ“. 12. Цинциннату, возвращавшемуся въ Римъ послѣ побѣды надъ врагами, всѣ граждане вышли навстрѣчу. 13. Ганнибалу пришлось возвратиться въ Африку, покинувъ Италію. 14. До Ганнибала никто не переходилъ съ войскомъ Альпы.

---

[1]) ad. — [2]) Graeca mulier.

21.

Однажды въ Большомъ Циркѣ давались римскому народу представленія. Дралось тамъ много разныхъ звѣрей. Но между всѣми звѣрями выдѣлялся огромный левъ, страшный ревъ котораго приводилъ въ ужасъ всѣхъ зрителей. Чтобы бороться съ нимъ, былъ выведенъ на арену рабъ. Лишь только левъ его замѣтилъ, какъ внезапно, точно удивленный, остановился; потомъ потихоньку подошелъ къ нему и началъ лизать его руки. Опомнившись отъ страха, Андроклъ[1]) (такъ звали раба) самъ сталъ гладить звѣря, и казалось, что оба они, точно знакомые, привѣтствовали другъ друга.

Народъ крикомъ выражалъ свое удивленіе, а императоръ, присутствовавшій въ циркѣ, подозвавъ раба къ себѣ, спросилъ его, почему левъ, хотя голоденъ и золъ, не тронулъ его.

На[2]) это Андроклъ отвѣтилъ: „Господинъ мой, управлявшій провинціей Африкой[3]), очень дурно обращался со мною. Не могъ я долѣе выносить ежедневныхъ жестокихъ побоевъ и бѣжалъ въ пустыню, чтобы тамъ погибнуть отъ голода[4]), если не достанетъ[5]) пищи. Я спрятался въ пещерѣ. Вдругъ въ ту же пещеру входитъ этотъ левъ съ окровавленной ногой, ревомъ давая знать о своей боли. Я испугался, но левъ подошелъ ко мнѣ и, поднявши ногу, какъ бы просилъ помощи. Я увидѣлъ, что въ ногѣ его торчала большая заноза. Немедленно я извлекъ ее и, выжавши кровь изъ раны, перевязалъ ногу. Левъ ушелъ изъ пещеры и вскорѣ принесъ мнѣ большой кусокъ мяса, часть своей добычи. Выздоровѣвъ, онъ цѣлые три года носилъ мнѣ въ пещеру самыя жирныя части звѣрей, пойманныхъ имъ. Наконецъ, такая жизнь мнѣ опротивѣла. Когда левъ однажды ушелъ изъ пещеры на охоту, ушелъ и я. Но черезъ нѣсколько дней я былъ пойманъ и отведенъ къ своему господину. Я и погибъ бы, если бы этотъ левъ не отблагодарилъ меня за благодѣяніе“.

---


[1]) Androclus, i. — [2]) ad. — [3]) часть сѣвернаго берега Африки, принадлежавшая кареагенянамъ. — [4]) твор. п. безъ предлога. — [5]) plusq. coni.

Всѣ, присутствовавшіе въ циркѣ, были тронуты этимъ разсказомъ и потребовали, чтобы Андроклу даровано было прощеніе.

Андрокла освободили отъ наказанія и подарили ему благодарнаго льва.

*
* *

1. Adspiciúnt oculís superí mortália iústis.
2. Dúm vitánt stultí vitia, ín contrária cúrrunt.
3. Dímidiúm factí, quí bene coépit, habét.
4. Est modus ín rebús, sunt cérti dénique fínes.
5. Gútta cavát lapidém, consúmitur ánulus úsu,
   Et teritúr pressá vómer adúncus humó.
6. Impia súb dulcí mélle venéna latent.
7. Incidit ín Scyllám, qui vúlt vitáre Charybdim.
8. Métirí se quémque suó modulo ác pede vérum est.
9. Néc quae praéteriít iterúm revocábitur únda,
   Néc quae praéteriít hóra redíre potést.
10. Níl ego cóntulerím iucúndo sánus amíco.
11. Omnia súb legés mórs vocat átra suás.
12. Príncipiís obstá! Seró medicína parátur,
    Quúm mala pér longás cónvaluére morás.
13. Pródigus ét stultús donát quae spérnit et ódit:
    Haéc seges íngratós tulit ét feret ómnibus ánnis.
14. Quídquid agís, prudénter agás et réspice fínem.
15. Quídquid in occultó est, in aprícum próferet aétas.
16. Quí studet óptatám cursú contíngere métam,
    Múlta tulít fecítque puér, sudávit et álsit.
17. Sólamén miserís sociós habuísse malórum.
18. Spérne volúptatés; nocet émpta dolóre volúptas.
19. Témpora lábuntúr tacitísque senéscimus ánnis.
20. Ut desínt virés, tamen ést laudánda volúntas.



ORBIS ROMANUS PICTUS.

ORBIS ROMANUS PICTUS

Рожденіе и воспитаніе Ромула и Рема.

I.

Olim Albae Longae, in urbe Latii, fuit rex nomĭne Numĭtor. Is fratrem Amulium habuit, qui, ei invĭdens, regno eum privāre constituit. Ităque fratrem pepŭlit et se regem declarāvit. Addĭdit praeterea scelĕri scelus. Nam, ut totam stirpem fratris perdĕret, duos nepōtes



eius Romŭlum et Remum servis tradĭdit, qui eos in Tibĕri flumĭne demergĕrent, matrem vero eōrum in custodiam dedit.


Sed quia ver fuit, Tiberis super ripas effusus erat. Ităque servi, qui puĕros portābant, eos in proxĭma eluvie exposuĕrunt, non dubi-

tantes de interĭtu eorum. Paulo post aqua, quum recessisset, alveum, in quo puĕri collocāti erant, in sicco relīquit. Forte lupa, quae siti compulsa ex montĭbus descendĕrat, puĕros flentes invēnit et eos lacte suo nutrīre coepit. Cum lupa saepius ad parvŭlos velŭti ad catŭlos reverterētur, Faustŭlus, pastor regius, hoc animadvertit et eos in casam portāvit, ubi uxōri suae tradĭdit. Ita Romŭlus et Remus servāti et inter pastōres educāti sunt.

II.

Postquam adolevērunt, venantes saltus vicīnos peragrābant. Brevi non solum feras, sed etiam latrōnes, praeda onustos, petēbant pastoribusque rapinam dividēbant. Sed forte ipsi a latronĭbus oppressi sunt. Romŭlus vi se defendit, Remus, comprehensus, ad Amulium adductus est et accusātus, quasi agros regios vastavisset.

Iam ab initio Faustŭlus, qui essent puĕri, suspicātus erat, sed id nemĭni aperiēbat. Tum vero necessĭtas adĕrat: nam Remo supplicium imminēbat. Ităque Romŭlo et eōdem tempŏre Numitōri rem nuntiāvit, qui, aetātem puerōrum repŭtans, nepōtes agnōvit. Undĭque iam Amulio regi insidiae parantur. Romŭlus, qui iuvĕnum manum sibi comparavĕrat, cum eā ad domum regis pergit: adiŭvat eum e domo regis Remus. Sic Amulium occīdunt et avum Numitōrem in regnum restituunt.



Основаніе Рима.

(753 г. до Р. Х.)

III.

Deinde Romŭlus et Remus urbem in eis locis, ubi exposĭti et educāti erant, condĕre statuērunt. Ne novae urbi incŏlae deessent, ex oppĭdis Latii agricŏlas pastoresque convocavērunt. Sed quia gemĭni erant neque ob eam rem aetāte diiudicāre potĕrant, uter nomen urbi daret eamque regĕret, auspicia decrevērunt adhibēre. Remus prior sex vultŭres, Romŭlus duodĕcim vidit. Sic Romŭlus victor urbem a suo nomĭne Romam vocāvit. Deinde, ut urbs ab hostium impĕtu tuta

esset, eam vallo cingĕre coepit. Quod quum Remus vidisset, angustias valli irrīdens id transiluit. Romŭlus irātus fratrem occīdit, his verbis increpans: „Sic puniētur, quicunque alius moenia transiluĕrit“.

Sic Romŭlus solus imperio potītus est. Is Romam per multos annos rexit et rem publĭcam non solum vi armōrum auxit, sed etiam legĭbus firmāvit. Ităque post mortem a Romānis numĕro deōrum adscriptus est et Quirīnus appellatus.




Похищеніе сабинянокъ.

IV.


Finitĭmus erat Romānis popŭlus Sabīnus. Ad eos Romŭlus, quia Romani uxōres non habēbant, misit legātos, qui societātem et conubium novo popŭlo petĕrent. A Sabīnis legatio ~~benigne audīta non est~~, ludibrium ~~quoque~~ addĭtum ~~est~~: „Quaerĭte vobis uxōres in eisdem locis, ~~ex quibus ipsi Romam convenistis~~: nostras filias vobis non dabĭmus“.

Irritāvit ea iniuria Romŭlum et, ut dolo id accipĕret, quod precĭbus non impetravĕrat, solemnes ludos indixit et eos spectātum Sabīnos invitāvit. Magna multitūdo eōrum cum uxoribus et libĕris in urbem profecti sunt. Quum omnes, qui adĕrant, ludos spectārent, subĭto iuvĕnes Romāni ex composĭto impĕtum faciunt et virgĭnes Sabīnas rapiunt. Patres et matres virgĭnum fugiunt, perfidiam Romanōrum querentes et deos ultōres violāti hospitii invocantes.

Haec fuit statim causa belli. Nam Sabīni cum magno exercĭtu ad Romam venērunt, perniciem infestae urbi minitantes. Atrox pugna in eo campo, ubi postea Forum Romānum fuit, commissa est: diu eventus anceps erat, quum subĭto muliĕres Sabīnae, parĭter et pietāte erga parentes et amōre virōrum commōtae, inter pugnantes se coniecērunt et eos orāre coepērunt, ut huic impiae caedi finem facĕrent: „In nos vertĭte iras; nos causa belli, nos causa vulnĕrum et caedis sumus. Melius necabĭmur, quam sine vobis viduae aut orbae vivēmus“.



Movet res et milĭtes et duces. Desistunt subĭto omnes pugnāre: duces ex utrāque acie procēdunt, foedus faciunt. Sabīni, in urbem recepti, cum Romānis se coniungunt.



Присоединеніе къ Риму Альбы Лонги. Гораціи и Куріаціи.

V.

Quum Tullus Hostilius, tertius rex Romanōrum, regnāret, inter Romānos et Albānos bellum ortum est. Duces, ut cruentam evitārent caedem, constituērunt rem paucōrum certamĭne decernĕre, ea condiciōne, ut, a qua parte victoria, ibi imperium esset.

Erant apud Romānos tres fratrēs Horatii, tres apud Albanos Curiatii. Hi a ducĭbus provocāti sunt, ut pro patria pugnārent et singulāri certamĭne diiudicārent, uter popŭlus altĕri parēret. Utrīque arma



capiunt et in medium procēdunt. Consedērunt utrimque duo exercĭtus et intenti eventum certamĭnis exspectābant. Ubi primum congressi sunt, vulnerāti sunt tres Curiatii, duo Horatii alius super alium exanimāti cecidērunt. Is, qui superĕrat, quia tribus impar erat, fugĕre coepit. Iam aliquantum ex eo loco, in quo pugna erat, aufugĕrat, quum respiciens videt Curiatios magnis intervallis sequentes, primum eōrum satis propinquum. In eum magna vi impĕtum facit eumque prius interfēcit, quam frater auxilio venīre potuit, itemque altĕrum caedit.

Iam singuli superĕrant: alter intĕger erat et duplĭci victoria superbus; alter vulnerātus et fratrum morte perterrĭtus. Tum Romānus Albānum, vix arma sustinentem, interfĭcit et iacentem spoliat. Romāni victoria laeti Horatium accipiunt et domum dedūcunt.

Procedēbat Horatius, trium fratrum spolia prae se gerens. Ei ante portam urbis obviam venit soror, uni ex Curiatiis desponsa; quae quum arma sponsi cognovisset, flere et crudelitātem fratris increpāre coepit. Movit Horatium inter gaudium popŭli lamentatio sorōris; irātus

gladio puellam transfixit cum his verbis: „Sic puniātur, quaecunque Romāna lugēbit hostem“.

Atrox id facĭnus omnĭbus visum est; et Horatius id morte luĕre debuit, nisi popŭlus, singulārem eius virtūtem admirātus et lacrĭmis patris commōtus, poena eum absolvisset.



Война съ этрусскимъ царемъ Порсинной. Подвигъ Горація Коклеса. Неустрашимость Муція Сцеволы. Бѣгство Клеліи.

(507 г. до Р. Х.)

VI.

Romam septem reges per annos fere ducentos quinquaginta regēbant. Inter eos post Romŭlum maxĭme nobilitātus est Servius Tullius, serva natus. Is urbem auxit, muro cinxit, qui septem colles occupāvit, fossas circum murum duxit; praeterea cives secundum censum cuiusque in classes et centurias distribuit multisque in popŭlum merĭtis amōrem omnium assecūtus est.

Successit ei Tarquinius Superbus, Romanōrum rex ultĭmus. Qui, per scelus imperio potītus, cives superbe et crudelĭter tractābat ob eamque rem Roma expulsus est. Romāni in eius locum duo consŭles creāvērunt. Ita Romae anno ante Christum natum quingentesĭmo nono libĕra res publĭca constitūta est.

Tarquinius, ira incensus, ad Porsinnam, Etruscōrum regem, confūgit eiusque auxilium implorāvit. Obsecūtus est precĭbus eius rex et ingentem exercĭtum contra Romānos duxit. Nunquam antea maior terror popŭlum invāsit; tantum eo tempŏre Porsinnae nomen fuit. Ex agris in urbem demĭgrant; urbem ipsam saepiunt praesidiis. Alia urbis pars muro, alia flumĭne Tibĕri tuta videbātur; sed pons sublicius, qui in Tibĕri erat, hostĭbus iter dedisset, nisi unus vir inventus esset Horatius Cocles. Is, quum hostes repentīnum impĕtum in pontem fecissent, extrēmam pontis partem occupāvit et, singŭlos retĭnens, conclamāvit: „Vos pontem interrumpĭte; ego impĕtum hostium excipiam“. Inde, dum ceteri pontem interrumpēbant, ipse hostes sustinuit,



qui, clamōrem tollentes, undĭque in unum tela coniciēbant. Quum autem fragor pontis rupti rem perfectam significavisset, tum Cocles: „Tiberīne[1]) pater, inquit, te pie precor, haec arma et hunc milĭtem propitius tuo flumĭne accĭpe". Haec dicens armātus in Tibĕrim se proiēcit et, quamquam multa tela in eum coniciebantur, incolŭmis ad suos tranāvit. Civĭtas erga tantam virtūtem grata fuit: statua ei in Foro posĭta et tantus ager datus est, quantum uno die circumarāvit.

VII.

Porsinna, ubi primus eius conātus repulsus est, ab oppugnatiōne urbis ad obsidiōnem se convertit. Castra in altĕra ripa Tibĕris posuit et omni modo impediēbat, ne frumentum in urbem subveherētur. Brevi

---

[1]) Tiberīnus, i Тиберинъ, богъ Тибра, жившій, по повѣрію римлянъ, въ этой рѣкѣ.

Romāni fame laborāre coepērunt. Tum Gaius Mucius, adolescens nobĭlis, cui indignum videbātur, quod hostes, non semel antea victi, tunc patriam premēbant, alĭquo audāci facinŏre eam indignitātem vindicāre constituit. Ităque in senātum processit et: „Tranāre Tibĕrim, inquit, in anĭmo habeo et intrāre, si potĕro, in castra hostium. Non praedae cupĭdus proficiscor, sed ut patriam, si dei iuvābunt, ab hostĭbus libĕrem“. Apprŏbant patres consilium eius et Mucius, postquam ferrum intra vestem abdĭdit, proficiscĭtur.

Quum in castra Porsinnae venisset, ibi in confertissĭma turba prope regium tribūnal constĭtit. Stipendium tum forte milĭtĭbus dabātur et scriba cum rege pari fere ornātu sedēbat. Mucius, ignōrans, uter rex esset, illum pro rege occīdit. Comprehensus et ad regem attractus: „Civis Romānus sum, inquit, Gaius Mucius appellor. Te hostem occidĕre constitui; nec ad mortem minus mihi anĭmi est, quam fuit ad caedem. Romāni fortia et faciunt et patiuntur“. Simul dextram manum in focŭlum incensum iniēcit eamque aequo anĭmo torrēbat, velut manum puniens, quae in caede peccavĕrat. Rex, miracŭlo attonĭtus, de sede sua exsiluit, iuvenem ab igne amōvit domumque eum impunītum reverti iussĭt. Tum Mucius, quasi beneficium reddens: „Quoniam, inquit, virtūtem honōras, rem omnem tibi aperiam. Trecenti iuvĕnes contra te coniuravĭmus. Mea sors prima fuĭt; cetĕri, ut cuique sors cecidĕrit, ex[1]) ordĭne adĕrunt, quoad a nobis interfectus eris“.

Porsinna perterrĭtus legātos Romam misit et pacem petīvit. Postquam Romāni pacem accepērunt et obsĭdes dedērunt, Porsinna ab urbe exercĭtum reduxit.


Mucio prata trans Tibĕrim data sunt; statua quoque ei honōris causa constitūta est.

VIII.

Inter obsĭdes, quos Porsinna accepĕrat, Cloelia, virgo nobĭlis, fuit. Haec, desĭderio patriae[2]) capta, cetĕris virginĭbus persuāsit, ut prima[3]) occasiōne[3]) fugĕrent. Ităque, quum castra Porsinnae forte non procul

---

[1]) ex здѣсь: по. — [2]) этотъ родительный перевести съ предлогомъ: по. — [3]) перевести съ предлогомъ: при.



a ripa Tibĕris posĭta essent, Cloelia, dux agmĭnis virgĭnum, frustrāta custōdes, noctu e castris egressa, inter tela hostium Tibĕrim tranāvit omnesque incolŭmes Romam ad propinquos reduxit.

Quod ubi regi nuntiātum est, ira incensus, legātos Romam misit, qui fugitīvas virgĭnes exposcĕrent. Quas omnes Romāni, ut fidem servārent, regi reddidērunt. Ille vero laudāvit virtūtem Cloeliae, remīsit ipsam concessitque ei ad arbitrium obsĭdes eligĕre eosque secum domum reducĕre.

Inter Romānos et Etruscos pax redintegrāta est, et Romāni novam in femĭna virtūtem novo honōre, statua equestri, donavērunt: in Sacra via posĭta est virgo, in equo sedens.

Удаленіе плебеевъ на Священную гору.

(494 г. до Р. Х.)

IX.

Externos hostes Romāni reppulĕrant, sed domestĭcis discordiis laborāre coepērunt. Nam multi ex plebe, continuis bellis exhausti, a patriciis pecuniam mutuam sumpsĕrant et a creditorĭbus durissĭme tractabantur; qui pecuniam solvĕre non potĕrant, aut in vincŭla conciebantur aut ad servilia opĕra adhibebantur. Quare plebs vehementer indignabātur et acerbissĭmo in patricios odio flagrābat.

Dum haec domi gerebantur, exercĭtus Romānus uno anno de tribus hostĭbus victoriam reportāvit. Quum in urbem revertissent, plebs ob tanta in patriam merĭta alĭquam remissiōnem aeris aliēni exspectābat. At patricii, penes quos summa potestas fuit, non solum id recusavērunt, sed etiam edixērunt, ut ei, qui militiae causa vincŭlis solūti erant, itĕrum creditorĭbus traderentur. Summa tum indignatio plebis orta est. Ita inter se querebantur: „Nos tribūta pendĭmus, nos sanguĭnem pro patria profundĭmus, iuris tamen omnis in civitāte nostra, sicŭti peregrīni, expertes sumus. Foris pro commūni libertāte pugnāmus, domi a civĭbus opprimĭmur tutioresque sumus in bello, quam in pace, inter hostes, quam inter cives. Hon possŭmus haec diutius tolerāre; relinquāmus urbem aliamque nobis sedem quaerāmus“.

His et aliis querimoniis incitāti, ex urbe egrediuntur et in Sacrum Montem, tria milia[1]) passuum ab urbe situm, secēdunt. Ibi sine duce castra posuērunt, vallo fossaque munivērunt, per alĭquot dies quiēti se tenuērunt.

X.

Interea in urbe ingens timor patricios occupāvit. „Quamdiu, aiēbant, multitūdo, quae secessit, tranquilla erit? Quid erit deinde, si intĕrim bellum externum exsistet? Nulla profecto spes salūtis est, nisi concordia civium quoquo modo reconciliabĭtur“.

---

[1]) Этотъ винит. падежъ отвѣчаетъ на вопросъ: на какомъ разстояніи?

Haec cogitantĭbus visum est legātum ad plebem mittĕre, missusque est Menenius Agrippa, vir facundus et plebi carus. Is, in castra intromissus, nihil aliud fecit quam hoc narrāvit: „Olim membra corpŏris humāni, quum ventrem otiōsum vidērent, coniuratiōnem fecērunt, ne manus ad os cibum portārent, neve os accipĕret datum, neve dentes conficĕrent. Sed dum ventrem fame domābant, ipsi quoque defecērunt totumque corpus ad extrēmam tabem venit. Tandem mĕmbra imprudentiam suam intellexĕrunt et rursus officia sua explēre coepērunt“.

Hac fabŭla Menenius docuit, quam intestīna membrōrum discordia simĭlis esset irae plebis in patricios eāque mentes homĭnum flexit. Plebs in urbem revertit. Creāvit tamen sibi magistratus, qui libertatem suam a nobilitātis superbia defendĕrent. Hi tribūni plebis āppellāti sunt.



XI.

Quum Romae discordia civium sanāta esset, aliud multo gravius malum civitātem invāsit. Inculti enim propter secessiōnem plebis agri manēbant, unde primum annōnae carĭtas orta est, deinde fames, qualis in obsessis urbĭbus esse solet. Misērunt igĭtur consŭles in Etruriam et Siciliam legātos, qui frumentum coëmĕrent. Ex Sicilia magna vis frumenti advecta est. Qua occasiōne multi patrum uti statuērunt, ut iura, plebi concessa, adimĕrent. In his praecipue Gaius Marcius Coriolānus infestissĭmum hostem plebis Romānae se praebuit.

Is, Coriolānus ab oppĭdo Volscōrum Coriŏlis, ab eo captis, appellātus, iam ab adolescentia virtūte bellĭca eminēbat; sed anĭmi fuit ferōcis et superbi et, quoniam ipse nobĭlis et dives erat, plebem contemnēbat et praecipue tribuniciae potestāti inimicissĭmus fuit. Quum igĭtur in senātu multi agĕrent, ut frumentum parvo pretio plebi darētur, Coriolānus vehementissĭme restĭtit. „Si frumento, inquit, plebs uti cupit, tribuniciam potestātem tollat; si non, fame premantur, cuius

causa ipsōrum est furor. Puto eos, hoc malo doctos, in posterum minus pertinăces fore“.

Nimis atrox haec sententia omnĭbus visa est. Marcius a plebe infensa in iudicium postulātus et, quia non adĕrat, absens exilio damnātus est. Odio in patriam flagrans, ad Volscos, inimicissĭmos tum popŭlo Romāno, confūgit; ibi benigne exceptus, Attii Tullii, summi eōrum ducis, hospitio utebātur.

XII.

Talis viri praesentia gavīsi, Volsci, maiora ausi, celerĭter consilium de bello Romāno capiunt. Imperatōres belli creantur Attius Tullius et Gaius Marcius, in quo Volsci maiōrem spem, quam in Attio, ponēbant. Neque haec spes eos fefellit. Nam multis oppĭdis expugnātis castra ad quintum lapĭdem[1]) posuit et agrum Romānum populabātur.

Romae maxĭma perturbatio orta est; intellegēbant enim armis se cum Marcio contendĕre non posse; legāti, bis ad eum de pace missi, reiecti erant; ne sacerdōtes quidem supplĭces, insignĭbus suis velāti, infensum anĭmum flectĕre potĕrant. Tum matrōnae ad Veturiam, matrem Marcii (pater iam mortuus erat), Volumniamque coniŭgem convenērunt easque excitavērunt, ut secum in castra hostium proficiscerentur, duos parvos Marcii filios ferentes, et urbem, quam viri armis defendĕre non potuērunt, muliĕres precĭbus lacrimisque defendĕrent.

Ubi ad hostium castra accessērunt nuntiatumque est Coriolāno adesse ingens muliĕrum agmen, ille satellĭtes removēre eas iussit. Quum vero familiarium quidam, qui Veturiam inter nurum nepotesque stantem cognovisset: „Nisi me frustrantur oculi, inquit, mater tua coniunxque et libĕri adsunt“, — prope ut amens ab sede sua exsiluit, matrem amplecti propĕrans.

At illa, ad iram a precĭbus versa: „Priusquam, inquit, complexum accipio, scire cupio, utrum ad hostem, an ad filium venĕrim, utrum captīva, an mater in castris tuis sim. Ad hoc me longa vita et infēlix senectus reservāvit, ut exsŭlem te, deinde hostem vidērem! Potuisti populāri hanc terram, quae te genuit et aluit! Non tibi, quum in

---

[1]) lapis, ĭdis здѣсь: милевой камень; то же, что у насъ верстовой столбъ.



conspectu Roma fuit, in mentem venit, intra illa moenia domum ac penātes tuos, matrem, coniŭgem, libĕros esse! Ergo nisi ego te peperissem, Roma non oppugnarētur; nisi filium habērem, libĕra in libĕra patria mortua essem. Sed ego diu non vivam: de his cogĭta, filiis tuis et uxōre, quos, si perges, aut immatūra mors aut longa servĭtus exspectat". Uxor deinde ac libĕri eum amplexi sunt, fletus ab omni turba muliĕrum ortus est. Ita anĭmus viri, quem nec legatiōnes, nec religio movēre potuĕrant, fractus est. Complexus suos dimīsit, ipse retro ab urbe castra movit.

Mulierĭbus Romāni magnum honōrem tribuērunt; utque rei monumentum esset, templum Fortunae Muliĕbri aedificātum est; Coriolānus autem, ad Volscos reversus, usque ad senectūtem vixisse et saepe exclamavisse dicĭtur: „Omni aetāti exilium misĕrum est, sed seni miserrĭmum".

Геройская гибель Фабіевъ.

(477 г. до Р. Х.)

XIII.

Populōrum, qui Romae finitĭmi erant, maxĭme Veientes bello Romānos vexābant. Cum his per longum tempus neque pax, neque bellum fuit; res prope in formam latrocinii venit. Legionĭbus Romānis cedēbant et in urbem refugiēbant; quum vero sensĕrant abductas esse legiōnes, incursiōnes faciēbant et fines Romanōrum populabantur. Quum igĭtur senātus in summa esset difficultāte neque sciret, quid agĕret, gens Fabia nobilissĭma atque opulentissĭma in se bellum suscipĕre statuit, ut cives, hac cura liberāti, arma contra alios hostes capĕrent.

Ităque unus ex Fabiis, qui eo ipso anno consul erat, in senātum venit et ita pro tota gente locūtus est: „Ad bellum Veiens, ut scitis, patres conscripti, non tam magno, quam assiduo praesidio opus est. Vos alia bella curāte, Fabios hostes Veientĭbus date. Pollicēmur tutam ibi maiestātem nomĭnis Romāni fore. Id bellum nostro privāto sumptu gerĕre cupĭmus. A re publĭca neque milĭtem, neque pecuniam postulabĭmus“. Gratiae maxĭmae a senātu eis actae sunt. Consul, e curia egressus, omnes gentīles postĕro die ad limen domus suae adesse iubet.

Prima luce omnes, sicŭti iussi sunt, conveniunt; consul paludātus egrediens in vestibŭlum omnem gentem suam instructam videt; deinde proficisci iubet. Incedēbant per urbem sex et trecenti milĭtes, omnes patricii, omnes unius gentis, quorum quisque cuilĭbet exercitui praeesse posset, unius familiae virĭbus Veienti popŭlo perniciem minitantes. Sequebātur turba cognatōrum, sodalium, popŭli, favōre et admiratiōne plena. Quum Capitolio templisque deōrum appropinquassent, precantur omnes, ut eos felīces mittant incolumesque brevi in patriam ad parentes restituant.

XIV.

Ubi ex urbe excessit manus, ad Cremĕram flumen pervēnit ibīque loco idoneo castra commūnit. Inde eruptiōnes in agros Veientium faciēbant, interdum acie certābant; quamquam numĕro exiguiōres erant,

tamen semper victoriam de hostĭbus reportavērunt et magna praeda capta in castra revertērunt. Veientes, postquam intellexērunt eos acie vinci non posse, insidias parāre statuērunt. Animadvertēbant enim magno successu Fabios audaciōres et incautiōres factos esse. Ităque et pecŏra praedantĭbus aliquoties obviam agēbant, et agros vicosque vacuos relinquēbant, et armāti, simulatque eos ingredientes vidērant, propĕre refugiēbant, quasi confligĕre cum iis non ausi. Iamque Fabii contemptis hostĭbus sua arma invicta seque omnia impūne ausūros esse credēbant. Forte e castris pecŏra in campo procul a Cremĕra conspecta sunt; huc decurrunt quumque improvĭdi insidias circa ipsum iter locātas superassent palatīque pecŏra rapĕrent, subĭto hostes ex insidiis consurgunt et eos undĭque cingunt. Quorum clamōre exterrĭti Romāni, postquam se circumventos esse sensērunt, primo orbem fecērunt, deinde omnes in unum locum se inclīnant eoque corporĭbus armisque nitentes cuneo sibi viam aperiunt. Duxit via in edĭtum leniter collem. Ibi primum restitērunt et, ubi anĭmum a tanto pavōre recepērunt, accedentes hostes reppulērunt. At illi vertĭce collis occupāto rursus superiōres facti sunt. Fabii caesi ad unum omnes castraque eōrum expugnāta.

Ita gens Fabia, pro patria mortem oppĕtens, tota exstincta esset, nisi Fortūna popŭli Romāni reservavisset unum, qui nondum puber aetāte domi relictus erat. Is clarissĭmam gentem restituit.

Война съ эквами. Призваніе въ диктаторы Цинцинната.

(458 г. до Р. Х.)

XV.

Anno ab urbe condĭta ducentesĭmo nonagesĭmo sexto Romāni, ab Aequis laesi, Minucium consŭlem cum exercĭtu contra hostes misērunt. Is, quum diu se castris pavĭdus tenēret, ab hostĭbus munitionĭbus circumdătus est, deletusque tum esset exercĭtus ducis ignaviā, nisi reperti essent quinque equĭtes, qui inter statiōnes hostium perrupērunt et Romam nuntiavērunt consŭlem exercitumque obsidēri. Magnus



terror ortus est. Quia in altĕro consŭle parum praesidii videbātur, dictatōrem dici placuit; omnium consensu Lucius Quinctius Cincinnātus dicĭtur, qui non minus paupertāte, quam industria et probitāte inter patricios eminēbat.

Eo tempŏre trans Tibĕrim quattuor iugĕrum colēbat agrum; prope tugurium fuit, ubi cum familia habitābat. Eum legāti, opĕri agresti intentum, invenērunt: tauris enim arābat, nudus[1]) propter solis calōrem, ut mos erat agricŏlis. Quum eum salutavissent et in vicem ab eo salutāti essent, rogavērunt, ut togātus mandāta senātus audīret. Tum ille admirātus et interrŏgans, satisne salva essent omnia (neque enim de bello audivĕrat), togam propĕre apportāre uxōrem iubet. Ubi ea velātus processit, dictatōrem eum legāti gratulantes salūtant, in urbem vocant, qui terror sit in popŭlo, expōnunt.

---

[1]) nudus здѣсь: въ одной туникѣ, безъ тоги.

Quinctius sine mora navi publĭca Romam navigāvit. Ibi magno concursu propinquōrum amicorumque, patrum plebisque exceptus domum, viginti quattuor antecedentibus[1]) lictorĭbus, deductus est.

Habēbat autem dictātor Romanōrum regiam potestātem eique omnes magistrātus parēbant; dicebātur in summo rerum discrimĭne in sex menses; adiuvābat eum magister[2]) equĭtum, quem ipse sibi deligēbat.

XVI.

Postĕro die dictātor, quum ante lucem in Forum venisset, magistrum equĭtum delĭgit Lucium Tarquinium, iuvĕnem nobĭlem ac non minus, quam[3]) ipse, paupĕrem. Deinde cum magistro equĭtum in conciōnem venit, ius dicit, tabernas tota urbe claudit, vetat quemquam privātas res agĕre, iubet omnes, qui aetāte[4]) militāri[5]) essent, armātos cum cibariis coctis in quinque dies vallisque duodēnis ante solis occāsum in campo Martio adesse, relĭquos cives cibaria militĭbus coquĕre. Omnĭbus rebus parātis atque agmĭne instructo, legiōnes ipse dictātor, magister equĭtum suos equĭtes ducit. Summa alacrĭtas ex[6]) timōre orta est. „Accelĕra, signĭfer; sequĕre, miles“, inter se clamābant, dictatōri gratificantes. Media nocte ad castra hostium perveniunt et signa constituunt.

Dictātor, equo clam castra hostium circumvectus et, quantum nocte perspicĕre potĕrat, castrōrum situm ac formam contemplātus, tribūnis milĭtum imperāvit, ut sarcĭnas in unum locum conĭci, militesque cum armis vallisque in ordĭnes suos reverti iubērent. Tum exercĭtum omnem longo agmĭne circumdat hostium castris et, signo dato[7]), clamōrem omnes tollĕre simulque fossam ante se quemque ducĕre et vallum iacĕre iubet. Iussa milĭtes exsequuntur; circumsŏnat clamor hostes, in castra obsessi consŭlis venit. Consul arma suos capĕre et castra hostium expugnāre iubet. Aequi, ab exteriōre parte pugnam exspectan-

---


[1]) перев. существительнымъ: предшествіе. — [2]) magister equĭtum начальникъ конницы. — [3]) non minus quam такъ же какъ. — [4]) перев. съ предлогомъ: въ. — [5]) militāris здѣсь: годный къ военной службѣ. — [6]) ex здѣсь: послѣ. — [7]) abl. abs. перев. придат. предложеніемъ съ буд. временемъ.

tes eoque versi, postquam sensērunt, proelium ab interiōre hoste commissum esse, eo omnes copias contraxērunt et, cum consilio ad lucem pugnantes, dictatōri noctem ad opus vacuam dedērunt. Prima luce iam circumvallāti a dictatōre erant. Tum anceps malum urgēbat: nam et consul proelium renovāre parābat et dictatōris milites iam vallum invadēbant. Ităque a proelio ad preces versi, dictatōrem orare coepērunt, ne omnes occīdi iubēret, ut inermes se domos reverti sinĕret. Is duces aliosque princĭpes vinctos ad se addūci iussit, sanguĭnis Aequōrum se non egēre dixit, sed, ut signum summae ignominiae pro iniuria popŭli Romāni eis imponerētur, sub iugum eos missum iri. Ex tribus hastis iugum factum est: humi fixae duae superque eas transversa una deligāta. Sub hoc iugum dictātor Aequos misit.

Captis castris hostium, omnium rerum plenis, praedam suis tantum milītĭbus dedit; ad consulārem exercĭtum ipsumque consŭlem conversus: „Carebĭtis, inquit, praedae parte, milĭtes, ex eo hoste, cuius praeda ipsi prope fuistis. Tu vero, Luci Minūci, quoniam virtūtem consulārem non praestitisti, legātus his legionĭbus praeĕris". — His verbis neque milĭtes exacerbāti, neque dux offensus erat; quin etiam dictatōri et corōnam auream lĭbram pondo decrevērunt et proficiscentem eum patrōnum[1]) salutavērunt. Romae Quinctio triumphus a senātu datus est; ducti[2]) ante currum hostium duces, militaria signa portāta, secūtus exercĭtus praeda onustus. Tota urbe summa laetitia fuit; ante omnium domos epŭlae instruebantur. Ille vero, sedĕcim diēbus[3]) officio suo perfecto, dictatūra se abdicāvit et ad boves relictos revertit.

---

[1]) перев. твор. падежомъ. — [2]) здѣсь и далѣе при причастіяхъ пропущены est, sunt, какъ это часто бываетъ. — [3]) твор. на вопр.: въ продолженіе какого времени.



Нашествіе галловъ.

(390 г. до Р. Х.)

XVII.

Quum bella, quae cum finitĭmis popŭlis gerebantur, confecta essent, novo periculo Romāni prope ad perniciem adducti sunt.

Anno ab urbe condíta trecentesĭmo sexagesĭmo quarto venērunt ad senātum legāti Clusinōrum, auxilium petentes adversus Gallos, qui Clusium urbem eōrum obsidēbant.

Galli, de quibus Romāni nihil antea audivĕrant, iam pridem Italiam superiōrem incolēbant. Tum vero, inopiā agrōrum coacta, magna eōrum multitūdo cum libĕris et coniugĭbus, iumentis omnīque re familiāri novas sibi sedes quaerĕre statuit et in partes Italiae meridionāles demigrāre. Incŏlis, quibus in itinĕre occurrēbant, incredibĭlem terrōrem iniciēbant: erant[1]) enim ingenti corpŏrum vi ac magnitudíne,

---

[1]) перевести: отличались.

capillis promissis, tegebantur pellĭbus ferārum, armāti erant longis gladiis; incedēbant longe ac late fuso agmĭne, immensum spatium obtinentes et iter suum clamorĭbus, incendiis, vastationĭbus significantes. Summus eōrum dux Brennus appellabātur.

Romānis, postquam Clusīnos audivērunt, placuit primo tres legātos ad novam atque inaudītam gentem mittĕre. Missi sunt tres fratres Fabii, qui senātus populīque Romāni nomĭne Gallos monērent, ne socios popŭli Romāni oppugnārent. Qui quum mandāta in concilio Gallōrum exposuissent, Galli: „Ne nos quidem, inquiunt, pacem aspernāmur, si Clusīni nobis partem agri sui concēdent, cuius ipsi non egent; alĭter pacem non impetrābunt. Nomen Romānum quamquam primum audīmus, tamen eos fortes viros esse credĭmus, quoniam Clusīni eōrum auxilium imploravērunt. Coram vobis, si opus erit, pugnabĭmus cum Clusīnis, ut Romam nuntiāre possītis, quantum Galli virtūte cetĕras gentes praestent. Nobis in armis ius est; omnia fortium virōrum esse credĭmus". Legāti superbe ad ea respondĕrunt; utrimque accenduntur anĭmi, discurrunt ad arma, proelium committĭtur. In eo proelio contra ius gentium legāti Romanōrum arma capiunt, unusque ex iis ducem Gallōrum occīdit.

Celerĭter per totam aciem Gallōrum divulgātur fama legātos Romanōrum pugnae interfuisse. Vertĭtur ira a Clusīnis in Romānos: omissa pugna, receptui canunt, consilium convŏcant. Nonnulli duces protĭnus cum exercitu ad urbem Romam proficiscendum esse censēbant; vicit tamen sententia seniōrum, ut legāti prius mitterentur questum iniurias et deditiōnem Fabiōrum postulātum. Sed plus quam iustae querēlae legatōrum apud Romānos nobilĭtas et opes Fabiōrum valuērunt. Ităque non modo non punīti, sed etiam summis honorĭbus a popŭlo ornāti sunt. Galli infensi, iam palam bellum minitantes, ad suos revertērunt. Quorum duces, postquam accepērunt, elūsam suam legatiōnem esse honoremque habĭtum violatorĭbus iuris gentium, ira flagrantes, citāto agmĭne ad Romam contendunt. Incŏlis, qui adventu eōrum perterrĭti ad arma currĕre vel fugam capessĕre parābant, Romam se petĕre clamābant, illis autem ~~se nocituros non~~ nihil timendum esse. Iamque omnia circum Romam loca plena hostium erant totaque regio truci cantu horrendisque clamorĭbus resonābat.

XVIII.

Romae autem, tamquam mediŏcre aliquŏd bellum imminēbat, omnia segnĭter agebantur; tandem tribūni militum[1], delectu habĭto, agmĭne tumultuario contra hostes profecti sunt.

Ad undecĭmum lapidem[2] ab urbe Gallis occurrunt, qua[3]) flumen Allia in Tibĕrim influit. Ibi, non loco castris ante capto, non vallo praemunīto, temĕre instruunt aciem. Pugna commissa est die duodevicesĭmo mensis Iulii. Quum milĭtes Romāni magna Gallōrum corpŏra conspexissent, ingens terror anĭmos eorum occupāvit; plurĭmi non tentāto certamĭne intĕgri terga vertērunt. Circa ripam Tibĕris magna caedes facta, multi gurgĭte hausti sunt. Maxĭma tamen pars incolŭmis Veios aufūgit, unde ne nuntius quidem cladis Romam missus est. Relĭqui, qui procul a flumĭne sub monte stetĕrant, Romam petivērunt et, ne clausis quidem portis urbis, in arcem confugērunt.

Galli, repentīna victoria obstupefacti, primo stabant velut ignāri, quid accidisset; deinde insidias verebantur, postrēmo caesōrum arma legērunt. Tum demum, quum nihil periculōsum vidissent, viam ingressi, non multo ante solis occāsum ad urbem Romam pervenērunt. Ibi non portas clausas esse, non statiōnem pro portis excubāre, non armātos esse in muris vident; itĕrum insidias verĭti, noctem extra moenia degĕre statuērunt, equitĭbus missis, qui explorārent, quid apud hostes gererētur.

Romāni interea totam urbem lamentationĭbus implevērunt. Nox insomnis agebātur inter dissŏnos cantus barbarōrum, circa moenia vagantium; lux appropinquans exanimāvit paene trementes, quum signa hostium iam prope portas vidērent.

Neque tamen defuit prudentiorĭbus consilium[4]. Quoniam urbs defendi non poterat, placuit delectam iuventūtem senatumque omnem cum libĕris coniugibusque in arcem Capitoliumque concedere; armis et frumento comportātis ex hoc loco munĭto deos hominesque et nomen Romānum defendĕre; sacerdōtes et Vestāles virgĭnes sacra publĭca

---

1) это были военные трибуны съ консульскою властью, избиравшіеся нѣкоторое время вмѣсто консуловъ. — 2) см. прим. 1 на стр. 30. — 3) qua здѣсь въ смыслѣ нарѣчія: тамъ, гдѣ. — 4) consilium здѣсь: распорядительность.

a rapīna et incendiis abscondĕre. Relĭqua turba civium sine duce partim per agros dilapsa est, partim urbes petīvit finitĭmas. At senes triumphāles consularesque negavērunt se urbem relictūros esse: in aedibus suis mansūri, morti se destinābant. Neque eos dolor aut lacrĭmae suōrum movērunt: indūti vestĭbus, quales in triumphis pompisque solemnĭbus gestāre solēbant, in vestibŭlis aedium sellis eburneis consedērunt, adventum hostium exspectantes.

XIX.

Galli, ingressi sine ullo certamĭne patentĭbus portis, in Forum perveniunt, spectantes templa deōrum arcemque, quae sola speciem belli [1]) praebēbat. Tum, modĭco relicto praesidio, cetĕri ad praedam per vacuas homĭnĭbus vias dilabuntur, pars in proximas domos ruit, pars ultĭmas petit. Inde rursus solitudĭne absterrĭti, in Forum et loca Foro propinqua revertebantur, quum senes in vestibŭlis aedium sedentes conspexērunt. Admirāti intuentur barbări viros, et ornatu et maiestāte deis, non homĭnĭbus simĭles. Quum ad eos velut ad simulacra versi starent, unus ex Gallis barbam senis cuiusdam permulsisse dicĭtur; ille indignātus scipiōnem in caput eius incussit iramque barbări movit. Ab eo initium caedis factum est omnesque in sedĭbus suis trucidāti sunt. Post principum caedem nulli deinde hostes parcebant; tecta diripiebantur et incendebantur.

Romāni ex arce plenam hostium urbem spectantes, auxilio [2]) venīre non potĕrant; stabat immŏta manus iuvĕnum, custos Capitolii, arma telaque velut solam spem suam tenens.

Alĭquot diēbus post Galli impĕtum in arcem faciunt. Prima luce, signo dato, multitūdo eōrum in Foro instruĭtur et, testudĭne facta, in rupes ascendĕre conātur. Romāni hostem adscendĕre sinunt, ipsi in medio fere clivo resistunt; et, e loco superiōre impĕtu facto, hostes detrūdunt. Illi magna cum clade repulsi, obsidionem parant. Stationĭbus utrimque disposĭtis, ne quis hostium aut evadĕret aut invadĕret, sua utrīque castra silentio custodiunt.

---

1) species belli воинственный видъ. — 2) дат. п. на вопр.: зачѣмъ?



XX.

Eo tempŏre Ardeae, quae urbs non procul a Roma posĭta erat, habitābat Camillus, clarissĭmus dux Romanōrum, odio civium in exilium missus. Qui Veios e proelio confugĕrant, arcessēre eum statuērunt; sed antea senātus, qui in Capitolio obsidebātur, consulendus erat. Eo cum ingenti pericŭlo per custodias hostium penetrāri potuit. Ad id iuvĕnis quidam, opĕram suam pollicitus, incŭbans cortĭci, secundum Tibĕrim ad urbem navigāvit, inde per praeruptum saxum, ab hostĭbus neglectum, in arcem ascendit et apud senātum mandāta exercĭtus exposuit. Accepto senatus consulto, ut Camillus ex exilio revocarētur et dictātor dicerētur, eādem via degredĭtur et incolŭmis ad suos pervĕnit. Ita Camillus exercitui, qui Veiis erat, praeposĭtus est.

Intĕrim arx Romae Capitoliumque in ingenti pericŭlo fuit. Nam Galli animadversis vestigiis humānis, qua nuntius Veiis missus ascen-

dĕrat, nocte sublustri, alii aliis innīsi et inter se sublevantes, in collem silentio ascendērunt et non solum custōdes dispositos fefellērunt, sed ne canes quidem, [redacted]xcitavērunt. Ansĕres vero, Iunōnis sacros, qui in Capitolio alebantur, strepitum nocturnum animadverterunt [redacted]t. Harum avium clangōre alarumque strepitu excitātus Marcus Manlius, vir bello egregius, arma arrĭpit Gallumque, qui iam in summo colle constitĕrat, clipeo ferit deturbatque. Eius casu proxĭmi prostrāti sunt; alios, qui saxa manĭbus amplexi erant, gladio transfīgit. Iamque alii milĭtes e somno excitāti telis saxisque hostes proturbābant, totaque Gallōrum acies in praeceps deiecta est. Relĭqua pars noctis quiēti data.

Luce orta, tribūni milĭtes ad concilium convocavērunt; Manlius ob virtūtem laudātus donatusque est non solum a tribūnis, sed etiam a militĭbus; vigil eius loci, ubi hostes ascendĕrant, de saxo deicĭtur. Inde utrimque custodiae diligentiōres habĭtae sunt.

Erat iam septĭmus obsidiōnis mensis et uterque exercĭtus maxĭme laborābat: Romānos fames, Gallos insŭper etiam pestilentia vexābat. Ităque, dum Camillus Veiis delectum habet omniaque ad bellum necessaria summa cum industria ac diligentia parat, indutiis factis colloquium de deditiōne habĭtum est. Tandem ex senātus consulto tribūni a Brenno discessum mille pondo auri redemērunt. Fama est Brennum, quum pecunia penderētur, falso pondĕri etiam gladium adiecisse et insŭper insolentem vocem „Vae victis“ addidisse.

Sed nondum omne aurum appensum erat, quum subĭto Camillus dictātor cum exercĭtu intervĕnit, pactiōnem, iniussu suo factam, ratam esse negat Gallosque ad pugnam provŏcat. Illi arma capiunt, irāti in aciem Romānam bene instructam invādunt. Iam vertĕrat fortūna: primo concursu non difficilius victi sunt Galli, quam ad Alliam vicĕrant. Altĕro deinde proelio vincuntur ab eōdem Camillo ad octāvum lapĭdem. Ibi nihil nisi caedes fuit. Castra eōrum capta et ne nuntius quidem cladis relictus est.

Dictātor triumphans in urbem ingressus est et a militĭbus Romŭlus ac parens patriae alterque condĭtor urbis appellātus. Roma paulātim e ruīnis restaurāta atque in meliōrem etiam statum redacta est.



Маркъ Курцій.

(362 г. до Р. Х.)

XXI.

Quanto amōre in patriam vetustis illis temporĭbus flagravĕrint anĭmi civium Romanōrum, quamque libenter, ubi opus fuit, vitam pro patria profudĕrint, vel haec fabŭla declārat.

Anno ab urbe condĭta trecentesĭmo nonagesĭmo altĕro sive motu terrae sive alia vi medium Forum Romānum in ingentem altitudīnem collapsum est, ex eāque voragine larvae foedo aspectu noctu evadĕre dicebantur. Quae quum nullo modo, multis terram inicientĭbus, explēri potuisset, Romāni vates prodigiōrum perītos interrogavērunt, quid hac in re facĕrent. Tandem deōrum monĭtu vates cecinērunt:

„Si id, quo popŭlus Romānus plurĭmum valet, illi loco dedicatum erit, res publĭca Romāna perpetua stabit“. Hoc vatum responsum ubi dĭvulgātum est, Marcus Curtius, iuvĕnis bello egregius, in Forum se proiēcit et ad popŭlum, mirantem iuvĕnis formam et ardōrem, conversus: „Estne, inquit, ullum magis Romānum bonum quam arma virtusque?“ Et silentio facto, templa deōrum immortalium, quae Foro imminēbant, Capitoliumque intuens et manus nunc in caelum, nunc in patentem terrae hiātum ad deos inferos tendens se devōvit. Deinde equum quam potĕrat maxĭme exornātum ascendit et armātus se in specum immīsit, dum multitūdo virōrum mulierumque dona ac fruges super eum congĕrit. Ita hiātus clausus esse dicĭtur. Ab hoc Curtio, ut nonnulli scriptōres Romāni tradunt, is locus postea lacus Curtius appellātus est.



Тить Манлій Торквать.

(361 г. до Р. X.)

XXII.

Galli, triginta fere annis post quam ab urbe repulsi erant, itĕrum incursiōnem in Latium fecērunt et ad quintum lapidĕm trans Aniēnem flumen consedērunt. Quam ob rem Romāni dictatōrem dixērunt, qui cum ingenti exercĭtu ab urbe profectus in citeriōre ripa Aniēnis castra posuit. Pons in medio erat. Neutri eum rumpĕre audēbant, ne id timōris indicium esset. Proelia tamen crebra erant, sed varia fortūna pugnabātur. Tum Gallus eximia corpŏris magnitudĭne [1]) in vacuum pontem processit et quam maxĭma voce potuit: „Quem nunc, inquit, Roma fortissĭmum habet, procēdat ad pontem, ut eventus certamĭnis nostri ostendat, utra gens bello sit melior“. Diu inter primōres iuvĕnum Romanōrum silentium fuit, tandem Titus Manlius ex statiōne ad dictatōrem pergit: „Iniussu tuo, inquit, imperātor, extra ordĭnem nun-

[1]) перевести родит. падежомъ.

quam pugnābo, non, si certam victoriam vidēbo; si tu permittes, ego illi beluae ostendam, me ex ea familia ortum esse, quae Gallōrum agmen ex Capitolio deiēcit“. Tum dictātor: „Perge, Tite Manli, et nomen Romānum deōrum auxilio invictum [1]) praesta“.

Armant deinde iuvĕnem aequāles: scutum capit, Hispāno gladio [2]) cingĭtur, ad propiōrem pugnam habĭli; armātum adversus Gallum ducunt, qui eum exspectābat, stolĭde laetans et linguam exsĕrens. Inde in statiōnem se recipiunt et illos duos in medio relinquunt.

Gallus statim, velut moles superne immĭnens, proiecto laeva manu scuto, gladium cum ingenti sonĭtu in arma Manlii deiēcit; Romānus, quum scutum scuto repulisset, gladio sublāto, se inter corpus armaque Galli insinuavit, ubi vulnerāri non potĕrat, deinde plurĭbus ictĭbus ventrem transfōdit et in spatium ingens ruentem porrexit hostem. Iacentis corpŏri unum torquem detraxit, quem cruōre respersum collo circumdĕdit suo.

Defixit pavor cum admiratiōne hostes. Romāni alăcres a statiōne obviam milĭti suo progrediuntur et gratulantes laudantesque ad dictatōrem perdūcunt. Dictātor corōnam auream addĭdit donum mirisque laudĭbus in contiōne milĭtum id certāmen praedicāvit. Manlius inde Torquāti cognomen accēpit.

Galli, timōre perterrĭti, proxĭma nocte castris relictis ex Latio discessērunt.

XXIII.

Idem Manlius memorabĭle exemplum severitātis disciplīnae Romānae praestĭtit. Postea bello, quod cum popŭlo Latino gerebātur, consul factus, edixit, ne quis extra ordĭnem contra hostem pugnāret. Titus Manlius, consŭlis filius, quum propius forte ad statiōnem hostium accessisset, is, qui Latīno equitatui praeĕrat, ubi consŭlis filium cognōvit, eum ad certāmen singulāre provocāvit. Movit ferōcem iuvĕnis

---

[1]) перевести творит. падежомъ. — [2]) hispanus gladius, испанскій мечъ, короткій обоюдоострый.

animum sive ira, sive pudor, sive inexsuperabilis vis fati. Oblitus ităque imperii patris in hostem ruit et Latīnum ex equo excussum transfixit, spoliisque detractis, laetus in castra ad patrem venit. „Tuum, pater, inquit, exemplum imitātus, haec spolia porto, quae provocātus ad certāmen singulāre ab hoste caeso cepi“. At consul extemplo contiōnem convŏcat et: „Quoniam, inquit, tu, fili, contra imperium consŭlis pugnavisti et disciplīnam militārem, qua res publĭca Romāna ad hunc diem stetit, solvisti, peccātum tuum morte tua luendum est. Triste exemplum, sed in postĕrum salūbre iuventūti eris. Lictor, delĭga ad palum“.

Metu omnes obstupuērunt; sed postquam cervīce caesa fusus est cruor, in questus et lacrĭmas se profudērunt. Iuvĕnis corpus spoliis contectum a militĭbus summo cum honōre rogo extra vallum exstructo concremātum est.

Memoriae prodĭtum est, Tito Manlio, cum bello confecto in urbem reverterētur, seniōres tantum obviam venisse, iuventūtem et tunc et in omni vita deinde eum execrātam esse.

Публій Децій Мусъ.

(343 г. до Р. Х.)

XXIV.

Bello Latīno, de quo supra dictum est, cum Manlio illo Torquāto consul fuit Publius Decius Mus. Hi cum duōbus exercitĭbus profecti ad Capuam, quo iam Latīni sociique eōrum convenĕrant, castra locant. Ibi utrīque consŭli in quiēte eădem visa esse dicītur species viri maiōris, quam ut pro homĭne habēri posset, qui dixit haec: „Ex una acie imperātor, ex altĕra exercĭtus deis infĕris debētur. Utrīus exercĭtus imperātor legiōnes hostium seque devovĕrit, eius popŭlus victor erit“. Ubi consŭles hos nocturnos visus inter se communicavērunt, tum, quia cum iis responsa augŭrum congruēbant, convocatis

tribūnis milĭtum [1]), imperia deōrum expōnunt, ne mors voluntaria consŭlis exercĭtum in acie terrēret, constituuntque, ut is consul, cuius exercĭtus cedĕre coepisset [2]), se pro popŭlo Romāno devovēret.

Pugna commissa est ad radīces Vesuvii montis. Ante pugnam consŭles immolavērunt, deinde, instructis ordinĭbus, in aciem processērunt. Manlius dextro, Decius laevo cornu praeĕrat. Primo utrimque aequis virĭbus eōdem cum ardōre pugnabātur, sed paulo post ab laevo cornu prima acies impĕtum Latinōrum non sustinuit et ad secundam aciem se recipĕre coepit. In hac trepidatiōne Decius consul impĕrat, ut pontĭfex Romānus se legionesque hostium pro re publĭca Romāna deis infĕris devoveat. Pontĭfex eum togam sumĕre iussit et, velāto capĭte, super telum stantem sic dicĕre: „Iuppiter, Mars [3]), Quirīne, dei, penes quos est potestas nostrōrum hostiumque, deique infĕri, vos precor, ut popŭlo Romāno vim victoriamque prosperētis, hostesque popŭli Romāni terrōre morteque afficiātis. Sicut verbis nuncupāvi, ita pro re publĭca Romāna, exercĭtu, auxiliis popŭli Romāni legiōnes auxiliaque hostium mecum deis infĕris devoveo“.

His verbis pronuntiātis lictōrem proficisci ad Manlium iubet et collēgae nuntiāre se pro exercĭtu devōtum esse. Ipse armātus in equum insiluit ac se in medios hostes immīsit. Terror, repente hostĭbus ea re iniectus, ordĭnes eōrum perturbāvit; quum vero telis obrŭtus corruisset, Latīni in fugam se convertērunt.

---

1) tribūni milītum, военные трибуны, начальники отдѣльныхъ легіоновъ; ихъ было въ легіонѣ шесть; командовали легіономъ по очереди.— 2) перев. будущимъ вр.— 3) Mars, Martis, богъ войны у римлянъ.

Война съ самнитянами. Пораженіе римлянъ въ Кавдинскихъ ущельяхъ.

(321 г. до Р. Х.)

XXV.

Vicīnis popŭlis Latii devictis, Romāni in Samnītes vertērunt arma. Quae gens loca montuōsa inferiōris Italiae usque ad mare Adriatĭcum incolēbat, partim agricolārum, partim pastōrum vitam agens, libertātis et bellĭcae laudis cupĭda. Crescente paulātim multitudĭne, de patriis montĭbus descendēbant et crebris incursionĭbus multas Campaniae urbes suae postestāti subiecērunt.

Romāni cum Samnitĭbus per longum tempus societāte et amicitia iuncti erant, dum illi Latio, hi montĭbus suis tenebantur. Quum vero utrīque extra hos fines bellum transmittĕre coepissent, causae belli eis non deĕrant. Primum bellum contra Samnītes suscepērunt Romāni anno ante urbem condĭtam quadringentesĭmo undecĭmo a Campānis auxilio contra eos vocāti. Inde per quinquaginta fere annos cum eis pugnātum saepeque in extrēma pericŭla ventum est.

Anno ab urbe condĭta quadringentesĭmo trecesĭmo tertio, quum Titus Veturius Calvīnus et Spurius Postumius consŭles adversus Samnītes bellum gerĕrent, Romāni cladem maxĭma insignem ignominia accepērunt. Samnītes eo anno imperatōrem Gaium Pontium habuērunt, qui Herennii, viri prudentissĭmi, filius et ipse primus bellātor atque dux erat. Is, quia sperābat, consŭlem Romānum cum exercĭtu non procul a Caudio iter factūrum esse, circa id oppĭdum castra quam potĕrat occultissĭme locat. Eius autem loci, cui nomen erat Furcŭlae Caudīnae, natūra haec est. Saltus duo alti angusti silvosique sunt, montĭbus circa perpetuis inter se iuncti. Iacet inter eos undĭque clausus campus herbĭdus aquosusque, per quem iter Romānis faciendum fuit. Sed antĕquam ad eum venis, primae angustiae intrandae sunt, et aut eādem via, qua intravĕris, revertendum est, aut si porro vadĕre perges, per alium altiōrem saltum evadendum.

In eum, de quo diximus, campum Romāni ingressi, quum statim ad altĕras angustias pergĕrent, saeptas arborĭbus ingentibusque saxis invenērunt. Quum fraus hostium apparuisset, praesidium etiam in montĭbus conspicĭtur. Celerĭter inde eādem via, qua venĕrant, reversūri eam ab hostĭbus obsessam inveniunt. Perterrĭti consistunt sine ullīus imperio intuentesque alii alios diu immōti silent. Tum a maestis consulĭbus auxilium petunt, quod vix dei immortāles praestāre potĕrant. Anxii et consilii expertes, nec cibi nec quiētis memŏres, noctem traduxērunt.

Ne Samnitĭbus quidem in tam secundis rebus consilium suppetēbat. Ităque Herennium Pontium, patrem imperatōris, consulĕre decrevērunt. Is, quum audivisset, ad Furcŭlas Caudīnas inter duos saltus clausos esse Romānos, nuntiis filii respondit, omnes quam primum incolŭmes dimittendos esse. Qua sententia spreta, quum itĕrum consultus esset, censuit ad unum omnes interficiendos esse. Quoniam haec responsa tam discordia inter se erant, consensu omnium ipse in consilium arcessītus est. Non morātus senex plaustro in castra dicĭtur advectus et in consilio ita locūtus esse:

„Priōre consilio, quod optĭmum putāvi, cum potentissĭmo popŭlo ingenti beneficio perpetuam firmāre pacem, altĕro consilio in multos annos, quibus Romāni, duōbus exercitĭbus amissis, non facĭle vires recipient, bellum reicĕre in anĭmo habui. Tertium nullum consilium est“.

Deinde, a filio ducibusque interrogātus: „Quid, si media via eligētur, si et dimittentur incolŭmes et condiciōnes eis iure belli imponentur?“ respondit: „Ista sententia neque amīcos parat neque inimīcos tollit. Servāte modo, quos ignominia irritaverĭtis. Romāna gens victa quiescĕre nescit. Vivet semper in pectorĭbus illōrum ira et tum modo irasci desĭnent, quum gravissĭma poena vos affecĕrint“. — Neutra sententia accepta, Herennius domum e castris avectus est.

XXVI.

Romāni, quum frustra conāti essent erumpĕre et iam omnium rerum inopia premerentur, necessitāte victi legātos mittunt, qui pacem aequam petĕrent, ea autem non impetrāta, ad pugnam hostes provocārent. Tum Pontius: „Iam debellātum est, inquit, et quoniam victi fortūnam fatēri nescītis, ego vos inermes cum singŭlis vestimentis sub iugum mittam. Hac sola condiciōne parātus sum foedus cum consulĭbus facĕre“.

Haec verba quum in castra Romāna nuntiāta essent, ingens luctus et gemĭtus omnium subĭto est ortus, non alĭter ac si nuntiarētur, omnĭbus eo loco mortem oppetendam esse. Tandem Lucius Lentŭlus, qui primus legatōrum[1]) virtūte et honorĭbus erat: „Viris Romānis, inquit, ferro via facienda est, si ullo modo pugnae potestas datur, et ego mortem pro patria praeclāram esse confiteor et me vel devovēre pro popŭlo Romāno legionibusque vel in medios hostes me immittĕre parātus sum. Sed hic patriam video, ubi omnes legiōnes Romānae sunt. Quid hae interĭtu suo servāre possunt? Tecta urbis, dicet alĭquis, et moenia, et eam turbam, quae urbem incŏlit. Atqui produntur haec omnia, delēto exercĭtu, non servantur. Quis enim ea tuebĭtur? Imbellis atque inermis multitūdo? An a Veiis exercĭtum Camillumque ducem vocābunt? Hic omnes spes viresque sunt, quas servantes patriam servāmus, tradentes ad necem patriam prodĭmus. At ignominiōsa deditio est. Sed amor in patriam postŭlat, ut eam tam ignominia, quam morte nostra, si opus est, servēmus. Ergo pareāmus necessitāti. Vadĭte, consŭles, redimĭte armis civitātem, quam auro maiōres nostri redemērunt“.

Consŭles, profecti ad Pontium, foedus fecērunt sescentosque equĭtes obsĭdum loco se datūros esse pollicĭti sunt. Tempus inde constitūtum, quo exercĭtus sub iugum mitterētur.

Redintegrāvit luctum in castris consŭlum adventus, a quibus milĭtes, ira incitāti, vix manus abstinuērunt. Alii alios intuebantur; contemplabantur arma mox tradenda[2]) et dextras inermes futūras[2]); proponēbant sibi ante ocŭlos iugum hostīle, et ludibria victōris, et vultus

[1]) legāti — легаты, помощники главнокомандующаго. — [2]) перевести придаточными предл. съ „который“.



superbos, et per armātos inermium iter, inde agmĭnis miserabĭlem viam per sociōrum urbes, redĭtum in patriam ad parentes, quo saepe ipsi maioresque sui triumphantes venērunt. Se[1]) solos sine vulnĕre, sine ferro, sine proelio victos esse[1]); sibi nequicquam arma, vires, anĭmos datos.

Dum haec secum reputabant, hora fatālis ignominiae venit. Primo omnes arma tradĕre iussi sunt, et tradĭti obsĭdes atque in custodiam abducti; tum consulĭbus paludamenta detracta sunt. Primi consŭles prope seminūdi sub iugum missi, tum legāti, tribūni milĭtum centurionesque[2]), deinde singŭlae deinceps legiōnes. Circumstābant armāti

---

[1]) acc. c. inf. зависитъ отъ подразумѣваемаго: secum reputabant (въ перев. прибавить: „разсуждали они“). — [2]) centurio, центуріонъ, начальникъ сотни, шестидесятой части легіона.

hostes exprobrantes eludentesque, suntque ab eis vulnerāti quidam atque etiam necāti, si vultus eōrum victōrem offendit. Ita traducti sub iugum, e saltu evasērunt. Quamquam velut ab infĕris[1]) extracti tum primum lucem conspexērunt, tamen ipsa lux eis omni morte tristior fuit.

XXVII.

Iam Romae etiam de clade cognĭtum erat. Quum deditiōnem tam foede factam audivissent, extemplo luctus publĭcus[2]) indictus est. Paene maestiōres exercĭtu ipso cives fuĕrunt, nec ducĭbus solum irascebantur, sed etiam innoxiis militĭbus, dicebantque eos urbe accipiendos non esse. Eam concitatiōnem fregit adventus exercĭtus etiam irātis miserabĭlis. Nam captōrum habĭtu vultuque sero in urbem ingressi, in domos suas se abdidērunt neque quisquam eōrum insequentĭbus diēbus in Forum aut in publĭcum procedĕre ausus est. Consŭles in domĭbus suis abdĭti nihil pro magistrātu agēbant. In eōrum locum novi consŭles creāti sunt Quintus Publilius Philo et Lucius Papirius Cursor.

Hi eōdem die, quo creāti sunt, senātum convocavērunt et priōres consŭles adesse iussērunt. Ibi Publilius, penes quem fasces[3]) erant: „Dic, Spuri Postūmi“, inquit. Qui ubi surrexit, cum eōdem vultu, quo sub iugum missus erat: „Scio ego, inquit, consŭles, me primum excitātum esse non tamquam senatōrem, sed tamquam reum et infelīcis belli et ignominiōsae pacis. Tamen omissa defensiōne, quae non diffĭcĭlis est apud viros, quibus fortūnae vicissitūdo non ignōta est, sententiam de pace Caudīna brevĭter dicam. Haec sententia testis erit, mihīne an legionĭbus pepercĕrim, quum turpi foedĕre me obstrinxi. Quo tamen, quoniam iniussu popŭli factum est, non tenētur popŭlus Romānus, neque quicquam ex eo praeter nos Samnitĭbus debētur. Dedāmur igĭtur nudi vinctīque, qui id foedus fecĭmus, et nostro supplicio arma Romāna liberēmus“. Haec quum dixisset, ingens viri admi-

---

[1]) ab inferis подраз. deis, перев. „изъ преисподней“. — [2]) luctus publicus — общественный трауръ, на время котораго закрывались лавки и всякая общественная дѣятельность прекращалась. — [3]) консулы правили по очереди; правящій консулъ имѣлъ при себѣ ликторовъ.

ratio et misericordia cepit patres. Tamen omnes sententiam eius secūti sunt et senātus consultum factum est, ut Postumius et Veturius tradërentur fetialĭbus[1]), qui eos Caudium perducĕrent et Samnitĭbus tradĕrent. Tum celerĭter novus exercĭtus conscriptus et ad Furcŭlas Caudīnas ductus est.

Praegressi fetiāles ubi ad portam Caudii venērunt, vestem detrăhi Postumio Veturioque, manus post terga vincīri iubent. Tum postquam in concilium Samnitium perventum est, fetiālis ita dixit: „Quandoquĭdem hi homĭnes iniussu popŭli Romāni foedus vobiscum fecērunt, ob eam rem, ut popŭlus Romānus scelĕre solvātur, hos homĭnes vobis dedo“. Pontius vero: „Neque ego, inquit, istam deditiōnem accipiam, neque Samnītes accipient, quia popŭlo Samnīti omnes debentur, quos in potestāte habui, aut pro eis pax. Si popŭlus Romānus foedus ad Furcŭlas Caudīnas factum repudiat, restituat legiōnes intra saltum, ubi saeptae erant; recipiant arma, quae tradidērunt, omnia habeant, quae habuērunt, priusquam in colloquium ventum est. Tum pacem repudient, tum gerāmus bellum. Ego hos, quos dedĭtis, non accipio. Deme, lictor, vincŭla Romānis“.

Sic illi incolŭmes in castra revertērunt. Samnītes vero bellum periculōsum renovātum esse vidērunt et tum demum laudābant senis Pontii consilia, quum, confecto bello, inīquas pacis condiciōnes accipĕre coacti sunt.



[1]) fetiāles, феціалы — жрецы, на обязанности которыхъ лежало религіозное освященіе международныхъ актовъ, какъ объявленіе войны, заключеніе мира и другихъ.

Война съ эпирскимъ царемъ Пирромъ.

(282—275 г. до Р. X.)

XXVIII.

Vix bellum Samnitium confectum erat, quum Romāni cum peregrīno hoste congressi sunt. Is fuit Pyrrhus rex, natiōne Graecus.

Graeci, quorum nunc primum mentiōnem facĭmus, gens antīquis temporĭbus nobilissĭma, meridionālem partem eius paeninsŭlae, cuius utrumque latus Adriatĭco et Aegaeo marĭbus continētur, et Peloponnēsum[1]), Isthmo[2]) cum ea paeninsŭla iunctum, incolēbant. Antiquĭtus in plures civitātes divīsi sunt, quarum nonnullae multis annis ante Romam condĭtam iam vigēbant. Nobilissĭmae fuērunt urbes: Athēnae, Lacedaemon, Corinthus, Delphi, ubi oracŭlum fuit, cuius gloria olim per totum orbem terrārum permanāvit. Ut Romānis bellum cordi fuit, ita apud Graecos littĕrae et artes praecipuo cum honōre colebantur, maximeque Athēnae scriptorĭbus et artificĭbus nobilitātae sunt, quorum opĕra nunc quoque cum maxĭma utilitāte et voluptāte cognoscuntur.

Angustis finĭbus patriae suae non contenti, Graeci iam antiquĭtus colonias in diversas oras mittēbant. Quarum multae in inferiōrem Italiam, angusto tantum mari a Graecia disiunctam, deductae erant (quam ob rem ea pars Italiae Magna Graecia vocabātur) brevīque propter ubertātem agrōrum et varietātem fructuum in florentem statum pervenērunt. Harum coloniārum potentissĭma Tarentum fuit, in sinu Tarentīno posĭtum. Aliae, ut Neapŏlis, Capua, in Campania non procul a Latio condĭtae erant.

Per multos annos urbes Magnae Graeciae libertāte fruebantur, dum Romāni, rerum eventu in bellum cum eis implicāti, eas imperio suo subiecērunt. A Tarento initium est factum.

Tarentīni, odio in Romānos flagrantes, decem navĭbus eōrum, quae tempestāte in ipsōrum portum delātae erant, temĕre oppressis, quattuor demersērunt, unam cepērunt, ducem militesque multos interfecērunt.

---

[1]) Peloponnēsus, нынѣ Морея. — [2]) Isthmus, нынѣ Коринѳскій перешеекъ.

Quum legāti, a Romānis missi, non modo non audīti, sed etiam in contiōne laesi essent, bellum Tarentīnis indictum est. Illi, ne ab hoste, cui pares non erant, opprimerentur, ad Pyrrhum, regem Epīri (quae regio Graeciae septentrionālis est, ad Italiam versa), legātos mittunt orantes, ut auxilio Graecis urbĭbus venīret easque a fero popŭlo defendĕret.

Rex laetus (erat enim gloriae cupidissĭmus eoque tempŏre in Graecia potentissĭmus), legātis benigne acceptis, quum totam Italiam iam armis suis devictam esse anĭmo proponĕret, imprīmis cum Cinea, qui erat regi amīcus multumque apud eum valēbat, consilia sua communicāvit. Qui, ut erat veritātis amīcus: „Superātis Romānis, inquit, quid actūrus es?“ — „Italiae vicīna est Sicilia, inquit Pyrrhus, nec difficĭle erit eam armis occupāre“. Tum Cineas: „Occupāta Sicilia, quid postea facies?“ Rex, qui nondum Cineae mentem perspexit: „In Afrĭcam, inquit, traicĕre mihi in anĭmo est“. — Cui ille: „Quid deinde, o rex?“ — „Tum denĭque, mi Cineas, inquit Pyrrhus, nos quiēti dabĭmus dulcīque otio fruēmur“. Tum Cineas: „Cur igĭtur isto otio iam nunc non fruĕris?“ — „Quia, inquit rex, sine contentiōne et victoria voluptātem ullam esse nego“. — His dictis, rex legātos dimīsit, auxilium suum pollicĭtus.

Brevi cum magno exercĭtu et viginti elephantis in Italiam venit et contra Laevīnum consŭlem profectus est, qui ad fluvium quendam, non procul a Tarento, castra posuĕrat. Memoriae prodĭtum est, consŭlem, quum exploratōres Pyrrhi cepisset, iussisse eos per castra duci, ostendi omnem exercĭtum, tumque dimitti, ut Pyrrho renuntiārent, quae apud Romānos agerentur.

Romāni, quum fluvium transmisissent, proelium commisērunt. Septies iam Epirōtae impĕtum Romanōrum reiecĕrant, quum equĭtes Romāni subĭto impĕtu sinistrum cornu eōrum perturbavērunt et totam paene aciem in fugam vertērunt. Sed Pyrrhus, quum suos iam fugam parāre vidēret, ad ultĭmum auxilium descendit et elephantos in Romānos immīsit. Beluae istae, quas nunquam antea Romāni vidĕrant, equis perterrĭtis, equĭtum ordĭnes perrupērunt obtriverūntque, et ingentem caedem effecissent, nisi miles quidam unum ex eis vulnerasset, qui, dolōre consternātus et in Epirōtas conversus, eōrum ordĭnes pertur-

bāvit eosque prohibuit longius persĕqui Romānos. Novem milia Romanōrem interfecta sunt, Epirotārum quattuor milia caesa.

Captīvos Pyrrhus honorifīce tractāvit; occīsos sepelīvit. Quos quum adversis cum vulnerĭbus et ferōci vultu etiam mortuos iacēre vidisset, manus ad coelum tetendisse dicĭtur et dixisse, se totum orbem terrārum vincĕre potuisse, si tales milĭtes sibi fuissent. Amīcis vero gratulantĭbus: „Quid mihi cum tali victoria, inquit; si itĕrum eōdem modo vicĕro, sine milităbus in Epīrum revertar".

XXIX.

Quum igĭtur putāret, gloriōsam sibi fore pacem et foedus cum Romānis post victoriam, Romam misit Cineam, qui pacem aequis condicionĭbus proponĕret. Is, quum Romam venisset, domos princĭpum cum ingentĭbus donis circumībat. Nusquam vero receptus est. Introductus deinde in curiam, quamquam diserte regis virtūtem benevolentiamque erga Romānos verbis praedicābat et de condiciōnum aequitāte dissērebat, tamen hoc responsum audīvit: „Non est is mos Romanōrum, ut de pace agant cum hoste, qui intra fines Italiae copiis extĕris praeest. Rex si pacem a Romānis impetrāre cupit, copias ex Italia abdūcat, tum legātos mittat". Ita legātus ad regem revertit.

Hac repulsa exacerbātus Pyrrhus rectā ad Romam exercĭtum ducĕre decrēvit. Qua iter faciēbat, agros vastābat, vinēta delēbat, praedam undĭque agēbat. Iamque quadraginta milĭa passuum a Roma abĕrat, quum repente, adventu duōrum exercituum Romanōrum perterrĭtus, consilio mutāto, recessit. Copiis per urbes Campaniae disposĭtis, ipse Tarenti hiemāvit.

Vere insequenti itĕrum cum Romānis in inferiōre Italia conflixit. Per biduum pugnātum est. Priōre die Romāni paene vicĕrunt, quia Pyrrhus propter iniquitātem locōrum neque equitātum explicāre, neque elephantos in aciem deducĕre potuit. Postĕro autem die in planum descendit et Romānos acri certamĭne vicit, in quo Publius Decius Mus, alter consul, avi exemplum imitātus, voluntariam mortem pro salūte patriae oppetīvit. Regi ipsi in pugna altĕrum bracchium transfixum est.

Magna parte exercĭtus amissa, Pyrrhus, quum adversus Romānos parum se profectūrum esse intellegĕret, Siciliam, quae tota fere Carthaginiensium erat, potestāti suae subicĕre statuit. Ibi res prospĕre gestae sunt. Nam, multis urbĭbus captis, brevi tempŏre magnam partem insŭlae subēgit. Sed precĭbus sociōrum revocātus, in Italiam revertit tertiumque cum eōdem hoste pugnāvit.

Romāni ad Beneventum aciem instruxērunt. Ibi rex eos vehementissĭme adortus est, sed fortĭter impĕtum sustinuērunt. Diu pugna anceps fuit. Tandem elephanti discrīmen fecērunt, quum perturbāti in Epirotārum ordĭnes se convertissent. Romāni, exercĭtu regis pulso, castris ipsis cum ingenti praeda potīti sunt; quattuor elephanti in urbem perducti. Rex, omni spe abiecta, noctu Tarentum fugit, unde in Graeciam revertit. Ibi post biennium interfectus est. Tarentīnis victis pax et libertas data.

Quum etiam cetĕrae urbes Magnae Graeciae, quae partes Pyrrhi secūtae erant, Romanōrum potestāti se dedidissent, omnis Italia Romānis paruit.




Доблестныя качества Фабриція.

XXX.

Eo tempŏre, quo Pyrrhus rex Romānis fructus superiōrum victoriārum ereptūrus esse videbātur, illustrissĭmum priscārum illārum popŭli Romāni virtūtum documentum Gaius Fabricius Luscīnus praebuit.

Primum cum Pyrrho congressus est, quum legātus ad eum de captivōrum redemptiōne missus esset. Rex, qui audivĕrat magnum esse eius apud Romānos nomen, ut viri bellĭca laude insignis, sed admŏdum paupĕris, eum benigne tractāvit et munerĭbus aurōque sibi conciliāre coepit. Quae omnia repudiāvit Fabricius. Postridie Pyrrhus, ut illum subĭto conspectu elephanti, quem nondum vidĕrat, terrēret, suos iussit beluam clam adducĕre et post aulaeum collocāre. Signo



dato et aulaeo remōto, belua repente stridōrem ingentem edĭdit et proboscĭdem super Fabricii caput minacĭter suspendit. At ille, placĭde ad beluam conversus, subrīsit dixitque Pyrrho: „Non me hodie magis movet tua belua, quam heri aurum tuum movit“. Virtūtem viri admirātus rex illum secrēto invitāvit, ut patriam deserĕret secumque vivĕret, quarta etiam regni sui parte proposĭta; cui Fabricius: „Si me virum bonum iudĭcas, cur me corrumpĕre cupis? si malum, cur me tibi conciliāre studes?“

Neque vero rex captivos reddĭdit, cum dicĕrēt: „Si Romāni pacem facient, captīvos sine pretio reddam, sin autem in armis permanēbunt, cur ego numĕrum hostium tot tamque fortĭbus viris augēbo?“ Sed quoniam dies festi instābant, qui Romae maxĭme celebrabantur, captīvis permīsit, ut in urbem proficiscerentur, fide data, se die con-

stitūto reversūros esse. Nec fefellērunt fidem, omnes tempŏre constitūto revertērunt.

Postea Fabricius consul factus, quum iam omnis spes pacis abiecta esset, contra Pyrrhum missus est. Quum castra vicīna ipse et rex habērent, medĭcus regis nocte ad Fabricium venit eīque pollicĭtus est, si sibi praemium proposuisset, se regem venēno interfectūrum esse. Hunc Fabricius vinctum redūci iussit ad domĭnum Pyrrhōque dici, quae contra caput eius medĭcus spopondisset. Tunc rex admiratiōne stupuisse atque exclamasse dicĭtur: „Ille est Fabricius, qui difficilius ab honestāte, quam sol a cursu suo averti potest“.

Война съ кареагенянами за Сицилію. Патріотизмъ Регула.

(256 г. до Р. Х.)

XXXI.

Post Pyrrhi e Sicilia discessum Romāni non diu quiēti erant. Nam anno ab urbe condĭta quadringentesĭmo nonagesĭmo bellum Punĭcum exarsit, quod, de Sicilia per viginti tres annos gestum, tandem magno cum detrimento Carthaginiensium finītum est.

Hoc bello inter alios duces Romanōrum Marcus Atilius Regŭlus virtūte, fide, constantia in rebus secundis et adversis excellens exstĭtit. Consul factus octāvo anno belli, ter uno die in Sicilia Carthaginienses vicit. Deinde in Afrĭcam primus omnium Romanōrum traiēcit et Carthaginienses maxĭme oppressit, una urbe et trecentis castellis expugnātis.


Ibi ei non solum cum hominĭbus, sed etiam cum monstris dimicandum fuit. Nam quum ad flumen quoddam castra habēret, anguis immensae magnitudĭnis exercĭtum Romanōrum vexābat, multos milĭtes corripiens et devŏrans; neque is telōrum ictu perforāri potĕrat, durissĭma squamārum lorīca tela facĭle repellente. Confugiendum erat ad machĭnas; ballistis, velut arx quaedam, deicienda erat bestia. Tandem saxis oppressa iacuit; sed cruōre suo flumen et pestifĕro corpŏris adflātu vicīna loca infēcit Romanosque inde castra summovēre coēgit. Corium beluae centum et viginti pedum Regŭlus Romam misit.

Quum ei imperium in proxĭmum annum prorogātum esset, Carthaginienses pacem ab eo petivērunt, prosperēque iam tum bellum confectum esset, nisi petentĭbus victor duriōres condiciōnes proposuisset. Tum illi, quia semper fere mercennariis copiis bella gerĕre consuevērunt, e Graecia Xanthippum quendam, virum belli peritissĭmum, arcessivērunt. Ab hoc, acri commisso proelio, maxĭma pars exercĭtus Romanōrum caesa, ipse Regŭlus captus Carthaginemque missus est, ubi per quinque fere annos, in carcĕrem coniectus, miserrĭmam vitam vixit.

Interea fortūna belli itĕrum mutāta est: Carthaginienses, multis afflicti cladĭbus, iam de pace cogitābant quumque existimārent Regŭlum idoneum huius rei interprĕtem futūrum esse, eum Romam mittĕre statuērunt, ut de pace aut certe de captivōrum permutatiōne agĕret. Sed antea iurāre eum iussērunt, si neutrum impetrasset, Carthagĭnem se reditūrum esse. Ubi Romam venit et, in senātum introductus, mandāta Carthaginiensium exposuit, interrogātus est, quae ipse de his rebus sentīret. Tum ille: „Quamdiu, inquit, hostium iureiurando teneor, non sum senātor; si privātum me dicĕre iubētis, puto parum utĭle esse rei publĭcae vestrae non solum pacis condiciōnes, quae a me oblātae sunt, accipĕre, sed etiam captīvos commutāre; illi enim adolescentes sunt et robusti milĭtes, ego iam senex imbecillus, ad bellum inutĭlis“. Sententia eius probāta, captīvi retenti sunt; ipse, coniŭgis ac liberōrum aspectu carens, hortantĭbus amīcis et propinquis, ut apud suos manēret, sine mora ex urbe egressus, Carthagĭnem rediit.

Neque vero ignorābat vir egregius se ad crudelissĭmum hostem et ad horrendum supplicium proficisci, sed fidem iurisiurandi servāre malēbat, quam suam salūtem. Carthaginienses enim, postquam cognovērunt elūsos se esse a Regŭlo, maxĭma ira exarsērunt atque novum et inaudītum supplicium excogitavērunt: resectis palpĕbris, aliquamdiu Regŭlum in tenĕbris tenuērunt; inde, sole fulgente, eductum intuēri coelum coēgērunt; postrēmo in arcam ligneam, acūtis clavis intus munītam, inclusērunt ibīque lenta morte perīre coēgērunt, quum neque somnum capĕre posset et ferreis semper stimŭlis confoderētur.

Hic fuit Regŭli exĭtus, ipsa vita clarior et illustrior.



Война съ Ганнибаломъ. Медлительность диктатора Квинта Фабія Максима.

(216 г. до Р. Х.)

XXXII.

Quum Hannĭbal anno ante Christum natum ducentesĭmo septĭmo decĭmo Romanōrum exercĭtum paene delevisset, senatōres, per aliquot dies ab ortu ad occāsum solis in curia de novo duce novisque copiis consultantes, postrēmo ad remedium diu non adhibĭtum confugĕre statuērunt: dictātor dictus est Quintus Fabius Maxĭmus, magister equĭtum Marcus Minucius Rufus.

Fabius primo res divīnas curāvit, ut iram deōrum placāret; deinde urbem praesidiis munīvit, pontes in Tibĕri flumĭne omnes rescindi iussit, ne viam hostĭbus darent; ipse exercĭtum, qui superĕrat, duābus legionĭbus auctum rectā ad Hannibālem duxit. Tamen bellum cum callĭdo et insidiārum perīto duce longe alia ratiōne gerendum esse existimābat, atque[1]) antea gestum est. Per alta loca agmen ducēbat, modĭco ab hoste intervallo, ut neque omittĕret eum neque congredĕretur militesque necessitāte tantum coactus castris tenēbat. Quotiens pabulātum aut lignātum ivĕrant, turmae equĭtum et levis armatūrae statiōnes eos comitabantur, quae et progredientes defendēbant et hostes longius vagāri prohibēbant. Nec, si occasio oblāta erat, levia proelia detrectābat Fabius, quum superiōrem se discessūrum esse vidēret. Tali modo et Hannibālem vexābat, nihil tam vehementer cupientem, quam ut rem acie decernĕret, et milĭtes vincĕre Carthaginienses docēbat. Sic totam fere aestātem transēgit Fabius.

Iamque Hannĭbal, spe pugnae abiecta, locum hibernis circumspiciēbat. Progrediendum ei erat per angustas valles, montĭbus undĭque circumdātas. Fabius, natūram loci non ignōrans, fauces eārum angustiārum et omnia superiōra loca copiis occupavĕrat et hostem nihil suspicantem in valles descendĕre passus est. Ubi Hannĭbal animadvertit, suis se artĭbus a duce Romanōrum captum atque undĭque circumclūsum esse, dolo se expedīre statuit. Agēbat inter cetĕram

1) atque здѣсь послѣ alia значитъ: нежели.



praedam boves domĭtos indomitosque, duo milia numĕro. Horum cornĭbus arĭda sarmenta facesque praeligāri eăque, signo dato, incendi iussit. Nocte obscūra, quales autumno esse solent, totus exercĭtus, armenta prae se agens, ad montes, ubi hostes consedĕrant, contendit. Iamque Romanōrum stationĭbus appropinquābant, quum milĭtes arĭda sarmenta incendĕre iubentur. Boves, ubi flammam, e cornĭbus relucentem, vidērunt ardoremque sensērunt, furōre incitāti, in diversas partes dissipantur. Romāni primo, velut miracŭlo attonĭti, ignes hic illic micantes adspiciebant; deinde, ubi fraus humāna apparuit, insidias verĭti, castris totam noctem silentio se tenuērunt, dum Hannĭbal angustias supĕrat totumque agmen in superiōrem locum abdūcit.

XXXIII.

Tamen Hannĭbal non tutum se esse existimābat, dum Fabius exercitui praeĕrat. Ităque omnia agēbat, ut dictatōrem, quem vincĕre non potĕrat, ab imperio removēret. Nam, ut invidiam popŭli in eum concitāret, totam regiōnem, qua exercĭtum ducēbat, ferro ignīque vastāvit, Fabii vero agris, qui ibīdem erant, pepercit. Adiuvābat consilia eius imprudentia magistri equĭtum, homĭnis temerarii, qui primo coram paucis, deinde aperte dictatōrem vituperēbat. Iam non modo in castris, sed etiam in urbe Fabium segnem pro Cunctatōre (id autem ei cognōmen datum est), pro cauto timĭdum appellābant cunctationemque eius prodesse hosti, salūti civitātis obesse palam dicēbant.

Forte dictātor sacrōrum causa a senātu in urbem revocātus est; qui quum novisset, quae contra se agerentur, priusquam e castris egressus est, exercĭtum more maiōrum magistro equĭtum tradens: „Moneo te, inquit, Marce Minūci, ut plus consilio, quam fortūnae confīdas meumque potius, quam priōrum ducum exemplum imitēris. Noli putāre, frustra a me hanc aestātem transactam esse: magna res est nos, totiens victos, tandem vinci desiisse et a continuis cladĭbus respiravisse“.

At Hannĭbal, ubi audīvit dictatōrem abesse (speculatōres enim ei omnia, quae in castris Romanōrum fiēbant, renuntiābant), occasiōnem pugnae diu optātam non omittendam esse ratus, protĭnus castra ad Romānos propius movit, parvo praesidio in priorĭbus castris relicto. Quo fugāto, Minucius vacua hostium castra occupāvit et hac vana victoria exsultans Romam nuntium misit. Ingenti laetitia nuntius a senātu populōque audītus, et Minucius cum Fabio in imperio aequātus est; legiōnes cum equitĭbus et sociōrum auxiliis inter utrumque divisae, castra separāta.

Non fugit Hannibălem dissensio, inter duces Romanōrum orta; quam ad suum commŏdum convertĕre non cunctātus est. Erat inter castra Minucii et Hannibălis tumŭlus insidiis aptissĭmus. Hunc, quinque milĭbus pedĭtum equitumque prope occultātis, paucos milĭtes aperte capĕre iussit. Ad eos protĭnus Minucius cum legionĭbus profectus, inīquo loco proelium commīsit. Initium proelii Romānis secundum erat iamque

tumŭlum occupatūri erant, quum subĭto Hannĭbal, a tergo et a latĕre impĕtu facto, ordĭnes milĭtum perturbāvit; et perisset tum exercĭtus Romānus, nisi dictātor, velut coelo demissus, magistro equĭtum auxilio venisset. Quod quum vidisset Hannĭbal, receptui cecĭnit, palam confessus a se Minucium, se a Fabio victum esse; in castra vero rediens haec verba addidisse dicĭtur: „Tandem nubes, quae in montium iugis sedēre solĭta erat, imbrem cum procella dedit“.

Eōdem die Minucius, pericŭlo liberātus, in castra Fabii venit, tribūnis milĭtum et centurionĭbus comitantibus; signisque militarĭbus ante praetorium constitūtis, ante alios progressus, dictatōrem patrem ac salūtis suae auctōrem appellāvit veniamque sibi et militĭbus precātus est.

Copiae omnes dictatōri tradĭtae, castra iuncta sunt, Minucius itĕrum magister equĭtum factus.

Romae, nuntio proelii allāto, omnes Fabium in coelum laudĭbus ferebant, in eo veram virtūtem Romānam praedicantes.

Война съ Ганнибаломъ. Взятіе Марцелломъ Сиракузъ.

(212 г. до Р. X.)

XXXIV.

Inter duces Romanōrum, qui bello Punĭco interĕrant, pauci virtūte cum Fabio comparāri possunt; in his Marcus Claudius Marcellus non praetereundus est, qui nomĭnis sui gloria Fabium non modo aequavisse, sed etiam superavisse videbātur.

Hic, quum anno ante Christum natum ducentesĭmo quinto decĭmo dux exercĭtus esset, primus docuit Hannibălem quoque vinci posse: acie enim cum eo congressus, copias eius fugāvit. Summam autem gloriam, captis Syracūsis, adeptus est.

Haec urbs, in orientāli litŏre Siciliae a Graecis condĭta, eis temporĭbus praeter cetĕras urbes et divitiis et artĭbus floruit. Maxĭme ab Hierōne rege amplificāta et exornāta erat, qui, dum regnābat, semper amicum se ac socium popŭli Romani praestĭtit. Post eius mortem




Syracusāni ad Carthaginienses defecērunt, qui, ut antea commemoravĭmus, iam Regŭli aetāte cum Romānis de Sicilia certavĕrant.

Hac re cognĭta, Romāni, quamquam Hannĭbal meridionāles Italiae regiōnes bello premēbat, copias pedestres et classem ad Syracūsas movērunt; quibus Marcellus, consul creātus, praeĕrat. Is terra marīque Syracūsas oppugnāre coepit, operĭbus urbi admōtis; et habuisset profecto successum dux perītus, nisi unus homo Syracūsis eo tempŏre fuisset. Archimēdes is erat, unĭcus spectātor coeli siderumque, mirabilior tamen inventor ac machinātor bellicōrum tormentōrum operumque, quibus facĭle quoslĭbet hostium conātus frustrabātur. Eius arte, iam Hierōne regnante, murus Syracusārum ubīque pro loci natūra optĭme munītus erat. Tum vero, quum vidisset, hostem classe rem gerĕre velle, anĭmo in hanc partem intento, variae magnitudĭnis tormenta in muro disposuit: in naves, quae procul erant, saxa ingentis pondĕris emittēbat; propiōres leviorĭbus eōque magis crebris petēbat telis; quae ariĕte murum quassātum subībant naves, in has tollenōne utebātur, cuius ferrea manus, firmae catēnae illigāta, prorae navis iniciebātur ac primo, gravi libramento plumbi ad solum recellente, suspensā prorā, navem in puppim statuēbat, deinde, plumbo subĭto remisso, velut ex muro cadentem navem cum ingenti trepidatiōne nautārum undae adfligēbat et navem submergēbat. Marcellus, quum mari nihil proficĕret, terra rem gerĕre statuit. Hic quoque ab Archimēde magno cum detrimento repulsus, oppugnatiōne destĭtit, urbem undĭque obsidiōne clausit commeatūque hostem prohibuit.

XXXV.

Obsidio per tres annos fuit, non minus obsidentibus, quam obsessis gravis. Nam intolerandus aestus per utrăque castra morbos vulgāvit, ex quibus pestilentia orta est; ubīque quotidiāna funĕra et mors ob ocŭlos erat et undĭque dies noctesque plorātus audiebantur; desperāta salūte, quidam, ut ferro potius, quam morbo perīrent, soli hostium statiōnes invadēbant. Et quamquam maior vis pestis hostium castra,



quam Romāna corripuĕrat, multi tamen ex Romāno exercĭtu eādem peste absumpti sunt.

Tandem Marcellus, edoctus a transfŭga, die festo, quem large vino celebrābant Syracusāni, urbem expugnāre statuit. Ităque media nocte, quum plerīque Syracusāni, vino oppressi, sommo se dedissent, ad humiliōrem partem muri, quam iam antea animadvĕrterat, delectam milĭtum manum misit. Quae silentio noctis deducta, scalis admōtis, in murum ascendit reliquisque viam patefēcit. Tamen etiam posthac diu Marcello et cum Syracusānis et cum Carthaginiensĭbus in diversis partĭbus urbis pugnandum erat. Denĭque, quum defensōrum alii caesi essent, alii fugissent, nonnulli etiam Romānis se tradidissent, urbs pulcherrĭma atque clarissĭma capta et a militĭbus direpta est.

In hoc tumultu Archimēdes quoque perisse dicĭtur. Is, dum milĭtes Romāni urbem diripiēbant, domi sedēbat et, patriam urbem captam esse non sentiens, novam quandam machĭnam excogitābat, quum formas

quasdam in arēna attente describĕret. Repente miles, praedam quaerens, in domum irrūpit strictōque gladio, quis esset, interrogāvit. At senex, in cogitatiōne defixus, nomĭne suo non indicāto, nihil aliud nisi hoc: „Noli, inquit, obsĕcro, circŭlos meos turbāre!" Ităque a milĭte interfectus est. Marcellus, qui iam antea edixĕrat, ut milĭtes capĭti Archimēdis parcĕrent, aegre mortem eius tulit, sepultūrae curam ipse habuit, propinquis eius inquisītis honōrem tribuit. Archimēdis sepulcrum etiam posteriorĭbus saecŭlis celĕbre fuit.

Ipse Marcellus insequenti anno mortem obiit. Nam itĕrum adversus Hannibălem missus, tumŭlum, qui erat inter castra Carthaginiensium et Romanōrum, occupatūrus, in insidias, ab Hannibăle locātas, delapsus et hasta transfīxus est. Inventum Marcelli corpus Hannĭbal magnifĭce sepelīri iussit.

Маркъ Порцій Катонъ цензоръ.

(184 г. до Р. Х.)

XXXVI.

Iam satis de viris dictum est, quorum bellĭca virtūte res publica Romanōrum crevit; nunc transeāmus ad eos, qui in pace de re publĭca bene merĭti sunt.

In his primus Marcus Porcius Cato nominandus est. Is, quum adolescentiam ruri in praediis paternis transegisset, parsimoniam in omnĭbus rebus colĕre consuēvit: pellĭbus pro stragŭlis utebātur, cibo et vino, quo opifĭces, contentus erat; vestem nunquam induit, quae maiōris esset pretii, quam centum denarium [1]); agrĭcultūra plurĭmum usque ad senectūtem delectabātur, rem rustĭcam fundamentum publĭcae salūtis esse ratus.

---

[1]) denarius, i., денарій, серебряная монета, около 24 коп.

In iuventūte, more nobilium Romanōrum, stipendia meruit; ipse quoque, quum negotia publĭca administrāret, exercitui praeĕrat et bella felicĭter gessit. Tamen anĭmum intendit non ad bellum cum hostibus, sed ad contentiōnem cum morĭbus, quia intellegēbat, Romae non tam exteriōres hostes, quam suos cives periculōsos esse.

Temporĭbus enim belli Punĭci secundi [1]), victoria de periculosissĭmo hoste atque aemŭlo popŭli Romāni reportāta, mores Romanōrum in peius mutari coepti sunt. Nam cum divitiis luxuria irrepsit, priscae illi morum simplicitāti, qua Romāni cetĕras gentes praestābant, perniciōsa. Iamque institūta maiōrum neglegebantur et peregrīna vernacŭlis praeferebantur; ita res publĭca paulātim labefactāri coepit.

Non potĕrat id aequo anĭmo ferre Cato quique ipse virtūtis Romānae exemplar fuit, omnĭbus virĭbus obstĭtit eis, qui novis rebus studēbant. Aspĕre in vitia nobilium invectus, brevi ocŭlos popŭli in se convertit summosque honōres adeptus est. Consulātu functus, censor factus est. Erat autem officium censōris non modo civium rem familiārem censēre, sed etiam, si quis contra bonos mores peccavĕrit, notāre. Cato tum in complūres senatōres animadvertit, unum vero consulārem e senātu movit, propterea quod ille, quum Galliam provinciam [2]) obtinēret, in epŭlis Gallum, iam capĭtis damnātum, secūri percussĕrat. Deinde matronārum luxum insectātus est. Nam, confecto bello et florente re publĭca, matrōnae, in medio ardōre belli ornātu suo prīvātae, postulavērunt, ut sibi, quemadmŏdum vellent, exornāri licēret. Quibus acerrĭma oratiōne restĭtit Cato, sed frustra: nam omnes vias urbis obsidēbant virosque, ad Forum descendentes, orābant, ut legem de ornātu tollĕrent. Ităque lex sublata est.

Implacabĭli autem odio in Carthaginienses flagrābat. Quum in senātu de tertio Punĭco bello agerētur, primus Cathagĭnem delendam esse censuit: alĭter non posse salvam esse rem publĭcam. Sententia eius tum non probāta (indignum enim est visum vel acerrĭmum hostem sine iusta causa delēre), postea, quidquid agebātur, adicĕre solēbat:

---

[1]) Съ кареагенянами римляне вели три войны: первую (264—241 г.) изъ-за Сициліи, вторую (218—201 г.) съ Ганнибаломъ, третью (149—146) въ Африкѣ, окончившуюся разрушеніемъ Кареагена. — [2]) Это южное побережье нынѣшней Франціи.

„Cetĕrum censeo Carthagĭnem esse delendam“. Et ut metum pericŭli in anĭmis patrum excitāret, quodam die in curiam matūram ficum attulit ostendensque patribus: „Quando, inquit, putātis hanc ficum demptam esse ex arbŏre?“ — Quum omnes recentem eam esse dicĕrent: „Scitōte, inquit, hanc ficum ante diem tertium decerptam esse Carthagine; tam prope a muris habēmus hostem“. Movit ea res patrum anĭmos, et bellum Garthaginiensibus indictum est.

Fuit Cato non solum censor egregius (ob magistrātum sevēre gestum [1]) ei Censorii cognōmen datum est), sed etiam bonus pater. Quum ei natus esset filius, infantem ipse abluēbat; ubi alĭquid intellegĕre potuit puer, ipse eum in littĕris instituit, quamquam idoneum et erudītum domi habēbat servum. Conscripsit manu sua grandĭbus littĕris historiam, ut filius etiam in paterna domo ante ocŭlos habēret proposĭta vetĕrum institūta et exempla eăque imitāri consuescĕret.

Erat Cato ferrei prope corpŏris animique valetudĭnis; non illum enervāvit nec afflixit senectus; supra octoginta annos natus, adĕrat in iudiciis amīcis, veniēbat in senātum frequens. Graecas etiam littĕtas senex didĭcit. Discessit e vita annos natus quinque et octoginta, tribus annis antĕ quam urbs Carthāgo a Scipiōne delēta est.

Братья Тиберій и Гай Гракхи.

XXXVII.

Non minus quam Cato clari, quamquam dispăres ei et morĭbus et ingeniis, erant duo fratres Tiberius et Gaius Sempronii Gracchi. Hi non morum corruptiōni, sed paucōrum avaritiae obstābant, quum inopiam paupĕrum sublevāre studērent. Nam, Carthagĭne delēta et Graecia capta, Romae divitiae in paucōrum manus undĭque confluxērunt, relĭqua vero multitūdo popŭli non modo nihil inde lucri habuit, sed, oppressa a nobilitāte, sua etiam amīsit. Et quemadmŏdum primis rei

[1]) перевести существительныхъ „исправленіе“.

publīcae temporībus patricii et plebs de iure inter se certābant, sic hac aetāte inter nobīles sive optimātes et paupēres summae dissensiōnes et controversiae ortae sunt. Causam popŭli prior Tiberius Sempronius Gracchus, maior natu, suscēpit.

Is, anno ante Christum natum centesīmo tricesīmo tertio tribūnus plebis creātus, leges tulit, ut agri publīci plebi dividerentur et in provincias novae coloniae deducerentur, ob eamque rem non minus odium potentiōrum in se conflāvit, quam anĭmos inŏpum sibi conciliāvit. Sed dum tribūnus erat, sacrosanctus [1]) habebātur; privāto a nobilĭbus pessĭma timenda erant. Ităque in annum insequentem itĕrum tribūnus plebis creāri voluit.

Interea optimātes clientes suos concitavērunt, qui Gracchi conātus in conciōne impedīrent. Quum dies comitiōrum venisset, maxĭmus tumultus popŭli ortus est. Quare Tiberius conciōnem dimīsit, rogans, ut postĕro die denuo adessent. A popŭlo domum deductus, per totam noctem custodiebātur.

Postridie Tiberius, multis et tristĭbus prodigiis perterrĭtus, in Capitolium venit, ubi popŭlus, tribūnos creatūrus, iam convenĕrat. Prodit in conciōnem, stipātus turba suōrum; petit atque obsĕcrat, ut se defendĕrent; quumque in tumultu non audirētur, manum capĭti admōvit, pericŭlum sibi imminēre ostentans. Id adversarii alĭter interpretāti, senatui, qui non procul in templo habĭtus est, rettulērunt, Tiberium popŭlo signum dare, ut diadēma [2]) capĭti suo imponērent.

Consurrexērunt omnes, ira ardentes, et a consŭle postulavērunt, ut rem publĭcam armis defendĕret; quumque is morarētur ac negāret se vim contra civem Romānnm adhibitūrum esse, Scipio Nasīca, unus e senatorĭbus, sublāta ad coelum dextra, proclamāvit: „Qui rem publĭcam salvam esse volunt, me sequantur!“ Tum ex templo se prorĭpit, magna turba nobilium comitātus. Pro scutis togas prae se ferunt, pro armis alii bacŭlis, e fascĭbus lictōrum correptis, alii subselliis, in quibus sedēbant, utuntur atque ita in conciōnem ruunt.

---

[1]) личность народнаго трибуна была неприкосновенна; всякій, причинившій оскорбленіе или насиліе трибуну, подлежалъ строгому наказанію. — [2]) diadēma — узкая, украшенная жемчугомъ и драгоцѣнными камнями, повязка на чело, знакъ царскаго сана; можно перевести „царская корона“.

Quos quum ira incitātos ac velŭt insānos popŭlus vidisset, perterrĭtus in fugam se dedit, Tiberio relicto. Nasīca cum suis omnia, quae obvia erant, prosternentes, ipsum eum petunt; tum ille quoque fugae se mandāvit, sed, fragmento subsellii ictus, cecĭdit. Nec explētum est odium nobilium ipsa adversarii morte; nam, sepultūra ei denegāta, corpus in flumen proiecērunt.

Talem vitae finem habuit vir probus atque mitis ingenii, qui, futūra mala provĭdens, rem publĭcam non labefactāre, sed sanāre voluit, modĭcis legĭbus civīlem discordiam prohibitūrus.

XXXVIII.

Novem annis post quam Tiberius occīsus erat, Gaius necis vindex et legum eius propugnātor exstĭtit. Is virtūte et probitāte fratri non cedēbat, ingenio, aucadia, eloquentia eum praestābat. Primos post mortem Tiberii annos remōtus a rebus publĭcis in otio vixit; sed subĭto, quasi stimŭlo quodam excitātus (fratrem ei in somnio apparuisse trādunt, exprobrantem, quod consilia sua non exsequerētur), in publĭcum prodiit et in ocŭlis civium versāri coepit, gratiam popŭli appĕtens. Nobĭles, qui iam pridem iuniōrem Gracchum plus etiam, quam seniōrem timēbant, ut eum a concionĭbus amovērent, quaestōrem [1]) in Siciliam misērunt. At ille, clandestīna eōrum consilia provĭdens, ubi dies comitiōrum appropinquāvit, provincia relicta, confestim Romam rediit et tribunātum petīvit.

Quod quum audivisset mater eius, clarissĭmi illīus Scipiōnis Africāni filia, gravissĭmo dolōre affecta esse dicĭtur. Illa enim, Tiberio amisso, tristem in solitudĭne vitam agēbat, filii sortem deflens, quem antea ipsa ad gloriam et ad honōres incitavĕrat, quum dicĕret: „Cur Scipiōnis modo filia, non Gracchōrum etiam mater appellor?“ Quum vero matris dolor superbiam matrōnae fregisset, Gaium admonuit, ut inceptis desistĕret et si minus sibi, matri certe parcĕret. Sed nihil

---

[1]) quaestōres, квесторы, завѣдывали денежными дѣлами государства въ Римѣ и въ провинціяхъ.

admonitiōnes maternae velut ad fatum suum ruenti profuērunt. Tribūnus plebis anno ante Christum natum centesĭmo vicesĭmo tertio creātus, viam, qua frater praegressus erat, secūtus est et, sicŭt is, quaesīta morte periit.

Per duos annos (nam in annum insequentem itĕrum tribūnus plebis creātus est) opĕram dedit, ut potentiam senātus minuĕret, popŭli vero potestātem augēret; et magnam sane seditiōnem movisset nisi ab Opimio consŭle oppressus esset.

Aliquando consul, coloniam, a Gaio deductam, eversūrus, popŭlum in Capitolium convocāvit, ut de hac re cum eo agĕret. Gaius cum turba suōrum eōdem contendit. Ascendērunt eo ipso tempōre, quo Opimius sacra faciēbat. Forte unus ex lictorĭbus, homo ferox et insŏlens, viscĕra mactātae hostiae efferēbat quumque, turbae euntium obviam factus, clamavisset: „Discedĭte, imprŏbi; locnm date bonis hominĭbus“, ab irātis interfectus est. Inde tumultus orĭtur; senātus vero statim decrēvit, ut „vidērent consules, ne quid detrimenti res publĭca capĕret“. His autem verbis more Romāno consulĭbus summa potestas in cives dabātur, et potĕrat Opimius, quocunque modo ipsi placēbat, Gaium sociosque eius coërcēre.

Gracchus postĕro die in montem Aventīnum [1]), iam pridem ab amīcis eius cum plerisque civĭbus occupātum, decedĕre statuit. Domo exeunti Licinia uxor obviam se tulit et, altĕra manu parvum filium tenens, altĕra togam marīti prehendens, molestissĭmi dolōris plena, ita lamentabātur: „Quo ruis, Gai? Nonne sortem fratris anĭmo repŭtas? Me misĕram! Num tuum quoque corpus in Tibĕrim deiectum vibebo!“ Dum haec dicit, signum itinĕris datur; Gaius complexĭbus uxōris se erĭpit tacitusque in Aventīnum contendit. Illa, eum retentūra, currit et postquam in media via humi procĭdit, a serva in domum fratris sine voce deportātur.

Interea Opimius delectam manum milĭtum legionariōrum et sagittariōrum contra seditiōsam plebem movit. A quibus summo monte occupāto et plus quam tribus milĭbus civium caesis, relĭqui in fugam se dant. Gaius trans Tibĕrim in lucum se recēpit; postquam vero se

---

[1]) Mons Aventinus, одинъ изъ семи холмовъ Рима, въ южной части города.

undĭque circumventum esse vidit, unum e fidelissĭmis servis gladio necāre se iussit. Corpus eius in Tibĕrim deiectum. Capĭti autem abscīso amīcus quidam Opimii plumbum infudisse dicĭtur et consŭli attulisse; promisĕrat enim Opimius, si quis caput Gaii sibi attulisset, par se capĭti auri pondus persolutūrum esse.

Gracchōrum interĭtus fuit quasi augurium futurōrum malōrum: secūtae sunt plurĭmae seditiōnes, postrēmo bella civilia cum multa caede civium, dum res publĭca, cruōre suōrum contamināta et paene exanĭmis, in unīus dominātum cessit.

Гай Марій и Луцій Корнелій Сулла.

XXXIX.

Primum bellum civīle a Sulla et a Mario motum est. Hi viri genĕre, ingenio, fortūna inter se dispăres, pari gloriae cupiditāte flagrābant suisque commŏdis servīre, quam patriae prodesse malēbant. Ităque, etsi foris magnas res gessērunt, tamen domi rem publĭcam, iam laborentem intestīnis discordiis, valde vexavērunt et multae caedis civium auctōres fuērunt.

Gaius Marius, humĭli genĕre natus, erat homo ingenii aspĕri, magnitudĭne et robŏre corpŏris insignis; rudis omnīno litterārum, rei militāris peritissimus; spernens luxuriam et divitias, laudis atque honōrum praeter modum cupĭdus; expers omnis timōris, nullo terrebātur pericŭlo, dummŏdo gloriam assequerētur. Summam autem gloriam adeptus est, quum Romānos terrōre Cimbrĭco liberavisset.

Anno ante Christum natum centesĭmo tertio decĭmo eam provinciam Romānam, quae, trans Alpes sita, mari Interno adiacēbat, ignōti adhuc ac feri barbări aggressi sunt, qui Cimbri et Teutŏnes vocabantur. Qui ab extrēmis Germaniae finĭbus profecti, quia in patria inopia agri premebantur, in aliis regionĭbus sedes sibi quaerēbant, quumque in

provinciam Romānam venissent, ubertāte et amoenitāte locōrum pellecti, ibi considĕre neque prius conquiescĕre constituērunt, quam totam Italiam occupārent. Trecenta milia milĭtum fuisse dicebantur, quos multo maior turba muliĕrum ac liberōrum sequebātur; corpŏrum magnitudĭne eminentes pellibusque ferārum indūti, non homĭnes, sed gigantes esse videbantur; neque solum humānas opes, sed natūrae impedimenta levi momento superābant, quasi ludibrio ea habentes: de summis interdum montĭbus, scutis supposĭtis, in valles devolvebantur, altissĭma flumĭna, non ponte facto, sed truncis arbŏrum vel saxis comportātis atque ita aqua remōta, transmittĕre solēbant. Frustra his advĕnis per alĭquot annos duces Romāni resistĕre conāti sunt: non semel exercĭtus eōrum fugāti, castra capta et direpta sunt. Iamque Alpes superāre et ipsam Romam petĕre parābant, sicŭt antea Galli fecĕrant, nisi Marius eis obviam iisset.

Is, anno ante Christum natum centesimo quarto itĕrum a popŭlo consul creātus, sine mora magnis itinerĭbus contra hostes profectus est quumque eis prope flumen Rhodănum occurrisset, castra loco idoneo munīvit. Ibi anĭmos milĭtum sevēra disciplīna coërcēbat, corpŏra omni genĕre exercitatiōnum et opĕrum firmābat.

Interea barbări, incursionĭbus in Galliam et Hispaniam factis multisque aliis gentĭbus sibi adiunctis, ex duābus partĭbus in Italiam penetrāre constituērunt. Cimbri ad septentriōnes vertērunt, per Alpes Italiam invasūri, Teutŏnes recta via praeter maritĭmam oram contendērunt. Dum hi praeter castra Romāna per sex dies copias reliquamque miltitudĭnem ducēbant, Romănos milĭtes irridentes et interrogantes, num quid uxorĭbus mandatūri essent, sese enim brevi eas Romae visūros esse, Marius exercĭtum castris tenēbat. Quum vero praeterissent, ipse quoque castra movit et, agmen hostium per alĭquot tempus modĭco intervallo secūtus, sub ipsis radicĭbus Alpium eos oppressit. Hostes vallem fluviumque tenēbant; Romānis, castris loco munīto posĭtis, aqua deĕrat. Flagitante aquam exercĭtu, Marius: „Viri, inquit, estis; descendĭte ad hostes, aquam habebĭtis“. Sic ipsi milĭtes pugnam commisērunt et, summo cum ardōre pugnantes, magnam stragem hostium edidērunt. Caesa traduntur hostium ducenta milia, capta nonaginta, in his rex ipse Teutobōchus, in proximo saltu comprehensus.

Marius, hac victoria laetus, statim contra Cimbros proficiscĭtur, altĕri consŭli auxilium latūrus. Quum, propĕre confecto itinĕre, ad flumen Athĕsim castra posuisset, Cimbri, qui nondum de clade Teutŏnum audivĕrant, ad eum legātos misērunt, agros urbesque sibi et fratrĭbus postulantes. Quaesīvit Marius, quos illi fratres dicĕrent, quumque legāti Teutŏnes nominavissent, tum ille ridens: „Omittĭte, inquit, fratres: iam tenent hi acceptam a nobis terram et in aeternum tenēbunt". Legāti, ludibrio se habēri arbitrantes, minăti sunt, eum punītum iri, simulatque Teutŏnes advenissent; at ille: „Iam adsunt, inquit, neque fas est discedĕre vos, fratrĭbus non salutātis". His dictis, vinctos Teutŏnum duces addūci legatisque ostendi iussit.

Cimbri irāti e castris egrediuntur; Boiŏrix, dux eōrum, cum paucis equitĭbus ad castra Romanōrum adequĭtans, Marium ad proelium provŏcat postulatque, ut dies pugnae ab eo indicerētur. Marius etsi negābat esse morem Romānum cum hostĭbus de loco aut tempŏre pugnae collŏqui, tamen diem indixit ex eo die tertium, locum proelii campum prope iacentem constituit. Ibi cum altĕro consŭle ita aciem instruxērunt, ut pulvis in ocŭlos et in ora hostium ferrētur; pugna commissa, incredibĭlis barbarōrum strages edĭta est. Sed multo sanguĭne Romānis quoque victoria stetit. Quum enim ad castra hostium ventum esset, non minor cum mulierĭbus, quam cum viris, pugna fuit; quae, ex plaustris orbe facto, desŭper, quasi e turrĭbus, lanceis securibusque hostes feriēbant; sed, desperāta salūte, necātis infantĭbus, ipsae quoque, vincŭlis e crinĭbus factis, ab arborĭbus pependērunt. Canes etiam, caesis domĭnis, plaustra eōrum maxĭma cum rabie defendisse decuntur.

Marius, Romam reversus atque non solum a popŭlo, sed etiam a primorĭbus civitātis, qui ei aliquamdiu ut homĭni novo, ad tantos honōres evecto, invidēbant, tertius urbis condĭtor salutātus, triumphum accēpit magnificentissĭmum.

XL.

Brevi tamen Marius laudem bellĭcam turpi invidia macŭlāvit, quae et ipsi et civĭbus causa multōrum malōrum fuit.

Iam diu aegre ferēbat Marius, praeferri sibi a senātu Lucium Cornelium Sullam. Hic, nobĭli genĕre ortus et a fortuna divitiis, pulchritudĭne, facundia, acumĭne ingenii liberalĭter donātus egregiāque Romanorum et Graecārum litterārum cognitiōne imbūtus, postquam ad rem publĭcam accessit, facĭle in se omnium ocŭlos convertit. Ităque, quum bellum cum Mithridāte, potentissĭmo tum Asiae rege, instāret, consul factus, ad id bellum missus est. Id Marius impeditūrus, per tribūnum quendam plebis legem tulit, ut Sullae imperium abrogarētur, Gaio Mario bellum decernerētur Mithridatĭcum. Quod quum Sulla audivisset, celerĭter sex legionĭbus conscriptis, cum exercĭtu ad Romam venit eāque velut hostīli urbe occupāta, inimĭcos suos crudelissĭme ulcisci coepit.

Marius equĭtes persequentes fugiens, aliquamdiu in palūde se occultāvit. Sed a speculatorĭbus investigātus, laqueo in collum iniecto, ex aqua extractus et in proxĭmum oppĭdum abductus est ibique in carcĕrem coniectus. Mane in carcĕrem missus est servus publĭcus, natiōne Cimber, qui Marium interficĕret. Sed vix ille intravĕrat, quum Marius expergefactus, torvo vultu et igneis ocŭlis eum intuens, horrenda voce: „Tune, homo, inquit, Gaium Marium necāre audēbis?“ Quo nomĭne audīto, servus, attonĭtus et tremens, abiecto gladio, foras se proripuit, clamĭtans Marium se occidĕre non posse. Quod quum accepissent oppidāni, timōrem servo a deo immissum esse rati, Marium non modo e custodia dimisērunt, sed etiam pecunia et veste adiūtum in Afrĭcam transportavērunt.

Ibi quum in terram prope eum locum, ubi antea Carthāgo floruĕrat, egressus esset et in deserto loco sedēret, in tristi cogitatiōne defixus, clarissĭmae urbis excidium cum suo casu compărans, venit ad eum lictor praetōris[1]), tum Afrĭcam obtinentis, et decedĕre eum pro-

[1]) praetōres, преторы, вѣдали судебное дѣло въ государствѣ; имъ иногда поручалось командованіе войскомъ и управленіе провинціей.



vincia iussit. Quum ille nihil respondēret tacitusque eum intuerētur, interrogāvit lictor, num quid praetōri nuntiāre vellet. Tum Marius: „Abi, inquit, nuntia, vidisse te Gaium Marium in Carthagĭnis ruīnis sedentem".

Sed adĕrat iam tempus, quo tristis senex inimīcos suos ulcisci potĕrat. Nam anno insequenti, quum Sulla ad bellum Mithridatĭcum profectus esset, Marius, a sociis revocātus, in Italiam rediit; ibi, magnis comparātis copiis, Romam petīvit et, in urbem ingressus, caedĭbus eam ac rapīnis vastāvit. Quinque continuos dies totidemque noctes saeviēbant ferōces milĭtes, clarissĭmos viros interficientes, quorum nulla alia culpa erat, nisi quod Marius salutatiōnem eis abnuēbat.

Tandem Marius, senio, laborĭbus, praecipue autem metu Sullae confectus, cuius adventus iam exspectabātur, in morbum incĭdit et ingenti omnium laetitia vitam finīvit.

XLI.

Interea Sulla, bello Mithridatĭco summa cum gloria confecto, cum victōre exercĭtu in Italiam rediit. Copias adversariōrum, qui obviam ei iĕrant, omnes devīcit, mitem facilemque se ubīque praebens. Sed ubi Roma potītus est, summae crudelitātis exempla edĭdit. Convocāto senātu, dictatōrem perpetuum creāri se iussit et primo die quattuor milia deditōrum inermium civium in Circo Maxĭmo occīdit. Tum in relĭquos saevīre coepit, palam dicens nemĭni se temperatūrum esse, qui contra se arma tulisset; paucis diēbus necāta multa milia civium, bona eōrum direpta, agri vastāti. Quum complūres dies caedes fiĕret, unus e senatorĭbus his verbis Sullam allocūtus esse dicĭtur: „Non id te rogāmus, ut vitae damnatōrum parcas, sed ne eos certe metu conficias, quos salvos esse cupis". Huic Sulla respondit, nondum sibi ipsi constāre, cui parceret. Tum ille: „At recense saltem nomĭna eōrum, quos iam ad necem destinavisti". Sulla, quasi morem ei gerens, nomĭna eōrum, quos vita et bonis privatūrus erat, in publĭcis tabŭlis proposuit; adiēcit tamen, se eos modo notavisse, quorum meminisset; si quorum oblītus esset, hos postea notatūrum se esse. Hae damnatōrum promulgatiōnes proscriptiōnes appellātae sunt, quarum Sulla tristissĭmum exemplum primus edĭdit.

His proscriptionĭbus res publĭca ad extrēmum malum adducta est; nam non solum publĭce caedes fit, sed etiam domi cives in cives saeviunt, omnĭbus pietātis vincŭlis solūtis: produntur a servis domĭni, parentes a libĕris interficiuntur; templa deōrum immortalium sanguĭne innocentium polluuntur; nihil est sancti, quod non violētur, nihil puri, quod non contaminētur. Postrēmo familiāris quidam Sullam monuisse tradĭtur, ut aliquōrum saltem vitae parcĕret, ne deessent, quibus imperāret.

Delētis inimīcis, Sulla edicto Felīcem se appellāvit. Sed paucis annis post contra omnium exspectatiōnem dictatūram deposuit. Dimissis lictorĭbus, eo die in Foro cum amīcis diu ambulābat, spec-

tante ac stupente popŭlo, qui privātum eum vidēbat, quem perhorrescĕre consuevĕrat.

Deinde, profectus in villam, vitae rustĭcae se dedĭdit. Ibi morbo affectus interiit, vir non minus perniciōsi, quam ingentis anĭmi, qui urbem et Italiam civīlis sangŭinis fluminĭbus inundāvit.

Гней Помпей Великій.

(Род. 106 г., ум. 48 г. до Р. X.)


XLII.

Iam assuevērunt paulātim Romāni senātus et popŭli auctoritātem pro nihĭlo putāre et rei publĭcae administratiōnem ad unīus arbitrium deferre. Ităque, Sulla mortuo, anxii omnes circumspectābant, quis ei successūrus esset.

Erat autem his tempŏrĭbus nemo clarior aut popŭlo gratior Gneio Pompeio. Is, senatorio genĕre ortus et bello civīli Sullam secūtus, maxĭme ab eo diligebātur. Nam ei venienti solēbat sella assurgĕre et caput aperīre et equo descendĕre, quem honōrem nemĭni alii tribuēbat. Postea, ubi Pompeius in Sicilia et in Afrĭca inimīcos Sullae superāvit, iussus exercĭtum dimittĕre, paruit dictatōri et Romam revertit, sed triumphum postulāvit. Quem quum negavisset Sulla, non deterrĭtus a proposĭto, ausus est dicĕre plures adorāre solem orientem, quam occidentem. Id responsum quo valēret, etsi intellegēbat Sulla, tamen audaciam adolescentis admirātus, exclamavisse dicĭtur: „Triumphet!“

Anno post quam Sulla mortem obiĕrat, in Hispaniam missus ultĭmum ibi ducem factiōnis Mariānae superāvit dumque in Italiam cum victōre exercĭtu revertĭtur, servōrum et gladiatōrum tumultum oppressit.

Hoc genus homĭnum, crudelĭter a Romānis tractātum, quum servitūtem diutius ferre non posset, coniuratiōne in diversis partĭbus Italiae facta, vehementissĭme totam rem publĭcam perturbāvit. Reper-



Gneius Pompeius Magnus.

tus est inter eos dux, Spartăcus nomĭne, gladiatōris munĕre antea functus, cui nec fortitūdo, nec ingenium imperatōris deĕrat; is, dispersis sodalium catervis in unum exercĭtum coniunctis et more legiōnum Romanārum armātis et exercitātis, aliquoties cum consularĭbus exercitĭbus congressus est eosque devīcit. Iamque itĕrum caedes, incendia, vastatiōnes toti Italiae imminēbant, nisi Spartăcus, in inferiore Italia, fortissĭme pugnans cecidisset. Multa milia gladiatōrum et servōrum capta et crucĭbus affixa sunt, relĭqui a Pompeio in fuga oppressi caesique.


Per illa tempŏra pirātae omnia maria infestābant et Romānis, totīus orbis terrārum domĭnis, navigatio tuta non erat. Hi enim, magna classe contracta et in multis occultisque locis Maris Interni praesidiis collocātis, iam non latrociniis, sed bello Romānos persequebantur, complurĭbus urbĭbus direptis et Romānis commeātu, qui tum ex Aegypto, Afrĭca, Sicilia mari subvehebātur, interclūsis. Placuit igĭtur ad id quoque bellum Gneium Pompeium, itĕrum functum consulātu, cum imperio extraordinario mittĕre; quod ille intra paucos menses incredibĭli felicitāte et celeritāte confēcit.

Deinde ad bellum contra Mithridātem, qui rursus pacem rupit, profectus, in Asiam magna celeritāte contendit. Regem usque ad Caucăsi iugum persecūtus, nocturno proelio vicit, castra diripuit, ipsum in ultĭmas oras regni fugĕre coēgit, ubi acerbissĭmus ille nomĭnis Romāni hostis, qui olim uno die plus quam centum milia Romanōrum in Asia versantium occidĕrat, a filio oppressus, venēno sumpto se interēmit.

Tum alios Orientis reges et gentes superāvit; inde in Iudaeam profectus, primus Romanōrum hunc popŭlum domuit. Hierosolȳma, caput gentis, tertio obsidiōnis mense cepit templumque iure victōris ingressus est.

Ita finĭbus imperii usque ad extrēmas oras propagātis et rebus Asiae composĭtis, in Italiam revertit. Ad urbem non, ut Marius vel Sulla, armatus, sed dimisso exercĭtu, venit et tertium triumphum duxit. Ante triumphantis currum ducti sunt filii Mithridātis et Aristobūlus, rex Iudaeōrum; praelāta ingens pecunia, auri atque argenti infinītum pondus; quodque iam diu Romae inaudītum erat, currum triumphantis non luctus aut exsecratiōnes, sed commūnis laetitia ac vota secūta sunt. Ab omnĭbus victor Afrĭcae, Eurōpae, Asĭae vocabātur et cognomĭne Magni, quod primus ei, ex Afrĭca redeunti, Sulla dedĕrat, salutabātur; et felix appellari potuit, nisi adversam fortūnam esset expertus iam senex.





Кай Юлій Цезарь.

(Род. въ 100 г., ум. въ 44 г. до Р. Х.)

XLIII.

Initio primi ante Christum natum saecŭli totus fere orbis terrārum, tum notus, Romānis paruit. Nam fere omnes terrae, quae mari Interno adiacēbant (erant autem hae: magna pars Hispaniae, Galliae ora meridionālis sive Gallia provincia, Italia, Graecia, Asia, quae nunc Minor vocātur, Afrĭca provincia) insulaeque, in eo sitae, imperio Romanōrum subiectae erant. Sed, crescente imperii magnitudĭne, domi discordiae civīles, a ducĭbus dominatiōnis cupĭdis concitātae, exstitērunt; qui, neglecta senātus populīque iam infirma auctoritāte, vi armōrum summum imperium nancti, aliquamdiu rem publĭcam ad arbitrium administrābant. Ex eis Marius, Sulla, Pompeius fuērunt. Quorum tamen nulli id, quod Caesări, contĭgit, ut novae imperii formae auctor fiĕret.

Gaius Iulius Caesar, nobilissĭma familia ortus, annum agens sextum decĭmum, patrem amīsit. In paterna domo bene educātus litterisque et artĭbus edoctus, postea ipse ad humanitātis studia se contŭlit, quum et clarissĭmis magistris uterētur et elegantissĭmos oratōres attente in Foro

et in iudiciis audīret. Inter cetĕras virtūtes, quibus a natūra liberalĭter donātus erat, anĭmi constantia maxĭme laudanda est, quam iuvĕnis paene cum pernicie sua ostendit. Nam quum uxōrem duxisset, cuius pater erat Sullae inimicissĭmus, et hic, ut erat in re publĭca potentissĭmus, illum voluisset compellĕre, ut eam repudiāret, ne supplicio quidem proposĭto, ad eam rem perdūci potuit. Quare bonis spoliātus quum ad necem quaererētur, mutāta veste noctu ex urbe elapsus est et prope per singŭlas noctes latĕbras mutāre cogebātur; comprehensus vix data pecunia evāsit, ne ad Sullam perducerētur. Postrēmo per propinquos suos veniam impetrāvit. Constat Sullam primo precantĭbus pro Caesăre negavisse, quumque illi pertinacĭter contendissent, tandem exclamavisse: „Vincĭte, si ita vultis. Tantummŏdo mementōte, eum, pro quo tanto opere precamĭni, aliquando nobilĭbus exitiōsum fore. Multi Marii isti iuvĕni insunt".

Prima stipendia in Asia fecit; ibi in cuiusdam urbis expugnatiōne corōna civĭca[1]) donātus est. Inde quum in Italiam reverterētur, a pirātis captus est mansitque apud eos prope quadraginta dies. Per omne illud tempus magna cum dignitāte se gessit et pirātis non solum timōrem, sed etiam veneratiōnem sui[2]) iniēcit saepeque quasi per iocum dictitāvit, se, quum liberātus esset[3]), omnes eos crudelissĭmo supplicio affectūrum. Interea comĭtes dimīsit, qui pecuniam expedīrent, qua redimerētur. Viginti talenta[4]) pirātae postulavērunt, ille quinquaginta datūrum se promīsit. Quibus numerātis, quum exposĭtus esset in litŏre, statim in maritĭmam urbem, quae proxĭme abĕrat, properāvit ibique contracta classe, invectus in eum locum, in quo pirātae erant, partem classis fugāvit, partem demersit, alĭquot naves cepit piratasque captos cruci affixit.

Romae omnes honōres ex ordĭne assecūtus est. Fuit autem ambitiōnis plenus summosque honōres a prima aetāte concupiscēbat. Narrant eum, quum aliquando Alpes transīret et ad conspectum paupĕris cuiusdam vici comĭtes per iocum inter se disputārent, num illic etiam

---

[1]) Corōna civĭca — гражданскій вѣнокъ; такъ назывался вѣнокъ, которымъ награждали того, кто спасалъ въ битвѣ римскаго гражданина. — [2]) sui здѣсь: къ себѣ.— [3]) перев. буд. временемъ. — [4]) talentum, і талантъ, греческая монета стоимостью около 1500 рублей.

esset ambitiōni locus, serio dixisse, malle se ibi primum esse, quam Romae secundum. Ităque, dum publĭco munĕre fungebātur, id diligentissĭme egit, ut viam sibi ad regnum munīret, quumque intellegĕret, id se nisi per popŭlum assĕqui non posse, eum omni modo deleniēbat. Nam et venatiōnes ludosque magnifĭcos edĭdit et Forum Capitoliumque aedificiis exornāvit. Consul deinde creātus, legem tulit, ut ager Campānus plebi dividerētur ob eamque rem maxĭmam apud plebem gratiam assecūtus est. Eōdem tempŏre cum Gneio Pompeio et Marco Crasso societātem iunxit, ne quid agerētur in re publĭca, quod displicuisset ulli ex tribus.

Consulātu functus, Caesar Galliam provinciam accēpit, ut eam per quinque annos administrāret. Gessit autem novem annis, quibus in imperio fuit, haec. Totam regiōnem, quae Oceăno, Rheno flumĭne, Alpĭbus, finĭbus provinciae Romānae continebātur et a Gallis erat inculta, imperio Romanōrum subēgit; Germānos, qui terras, trans Rhenum sitas, incolēbant, primus Romanōrum, ponte im Rheno facto, aggressus maxĭma clade affēcit. Britannos quoque, ignōtos antea, adiit ab eisque, proelio victis, obsĭdes pecuniamque accēpit. In hoc bello Caesar peritissĭmum se bellĭcae artis et labōris patientissĭmum praestĭtit; in agmĭne nonnunquam equo, saepius pedĭbus anteībat, capĭte detecto, sive sol, sive imber erat. Longissĭma itinĕra incredibĭli cum celeritāte conficiēbat, neque eum morabantur montes aut flumĭna, quae vel natans, vel innixus inflātis utrĭbus traiciēbat. Inter multas egregias res, a Caesăre gestas, illud quoque commemorātur, quod legiōnis aquilifĕrum, in fugam iam conversum, cervīce comprehendit, in contrariam partem detraxit, dextramque ad hostem tendens: „Quo tu, inquit, abis? Illic sunt, cum quibus demicāmus“. Qua adhortatiōne legiōnes, iam vinci parātas, vincĕre coēgit.

XLIV.

Interfecto interea in Asia Crasso, solus Pompeius Caesărem potentia aequāre potĕrat. Sed iam pridem Pompeio suspectae erant Caesăris opes et Caesări Pompeiāna dignĭtas gravis, nec hic ferēbat parem, nec ille superiōrem. Ităque quum Caesar, ne, Gallĭco bello non perfecto, discedĕret, postulavisset, ut sibi absenti altĕrum consulātum petĕre

liceret, a senātu, persuadentĭbus Pompeio eiusque amīcis, negātum est. Hanc iniuriam ferre non potuit. Eam vindicatūrus, in Italiam contra Pompeium exercĭtum duxit, quia intellegēbat se, dum Pompeius in imperio esset, nunquam ea, quae concupivisset, assecutūrum esse. In itinĕre multas urbes in deditiōnem accēpit. Pompeium persequens gravissĭma hieme Adriatĭcum mare traiēcit et, in Epīrum profectus, apud oppĭdum Pharsălum copias Pompeii acerrĭmo proelio fudit. Castra Pompeiāna, pretiosissimārum rerum plena, praeda victōris fuērunt.

Victus Pompeius ad Aegypti regem profūgit, qui eum interfĭci iussit, quia putābat, se hoc facinŏre Caesări gratum esse factūrum. Latus Pompeii sub ocŭlis uxōris et liberōrum mucrōne percussum, caput praecīsum, truncus in Nilum coniectus. Deinde caput cum anŭlo ad Caesărem delātum est, qui, eo viso, lacrĭmas non continuit iuravitque, se hanc crudelitātem ultūrum esse.

Ac statim post proelium Pharsalĭcum Caesar in Aegyptum contendit, regeque in proelio interfecto, regnum Cleopătrae, sorōri eius, muliĕri eximiae pulchritudĭnis, commīsit. Inde Asiam et Afrĭcam peragrāvit et unīus anni spatio inimīcos sibi reges reliquiasque Pompeianārum copiārum devīcit.

Tum demum Caesar, omnium victor, regressus Romam, omnĭbus, qui contra eum arma tulĕrant, ignōvit et quinquies triumphāvit. A senātu tantis honorĭbus ornātus est, quanti nulli unquam obtigĕrant, quumque dictātor perpetuus esset dictus, regiam fere potestātem obtinuit. Praeterea nomen imperatōris ei indĭtum, quod primo loco ponerētur. Inde „imperātor Caesar“ appellabātur.

Primum diligentissĭme opĕram dedit, ut rem publĭcam, bellis civilĭbus debilitātam, bonis legĭbus firmāret. Qua in re multa utilissĭma popŭlo Romāno fecit. Inter cetĕra fastos correxit, iam pridem vehementer turbātos, annumque ad cursum solis accommodāvit, ut trecentōrum sexaginta quinque diērum esset[1]) et unus dies quarto quoque anno Februario mensi intercalarētur. Hi fasti usque ad nostra tempŏra mansērunt. In honōrem Iulii Caesăris septĭmus mensis Iulius appellātus est.

---

[1]) esse здѣсь: состоять изъ ч.-л.

Plura quoque commŏda attulisset rei publĭcae vir optĭmus, nisi mors praematūra eum oppressisset. Ex quo tempŏre unus orbis terrārum domĭnus exstĭtit, multis invīsus esse coepit, qui libĕram rem publĭcam esse et a senātu consulibusque, non ab uno administrāri cupiēbant. Huc accessit, quod nondum in obliviōnem venit Pompeianōrum potentia, quam Pharsalĭco proelio fregit. Ităque coniurātum in eum est a sexaginta circĭter viris, decretumque, eum in senātu Idĭdus[1]) Martiis confodĕre.


Plurĭma indicia futūri pericŭli obtulĕrant dei immortāles. Nam et Calpurnia uxor, perterrĭta nocturno visu, orābat, ut Idĭbus Martiis domi manēret, et Caesar ipse videbātur sibi per somnum supra nubes volitāre et Iovi dextram porrigĕre, et augur quidam praedixit, ut proxĭmos dies triginta quasi fatāles cavēret, quorum ultĭmus erat Idus Martiae. Hoc igĭtur die Caesar augŭri: „Scisne, inquit, Idus Martias iam venisse", et is: „Scisne illas nondum praeterisse". Atque quum Caesar eo die in senātum venisset, sedentem coniurāti circumstetērunt et statim unus, quasi alĭquid rogatūrus, propius accessit renuentique Caesāri togam ab utrōque humĕro apprehendit. Deinde alius a tergo eum vulnerāvit. Primo Caesar se defendĕre conabātur, postea, ubi animadvertit, undĭque se strictis pugionĭbus peti, toga caput obvolvit et ita tribus et viginti plagis confossus cecĭdit.

Sic periit imperātor Caesar cum summo omnium luctu sexto et quinquagesĭmo aetātis anno. Percussōrum autem neque triennio quisquam amplius vixit neque sua morte defunctus est. Omnes alius alio casu periērunt, pars naufragio, pars proelio; nonnulli se ipsi eōdem pugiōne, quo Caesărem violavĕrant, interfecērunt.



---

[1]) Idus называлось 15-е число нѣкоторыхъ мѣсяцевъ, въ томъ числѣ и Марта.



Маркъ Туллій Цицеронъ.

(Род. въ 106 г., ум. въ 43 г. до Р. Х.)

XLV.

Marcus Tullius Cicĕro eo tempŏre, quo multi armis rem publĭcam evertĕre studēbant, maluit eam vi eloquentiae suae defendĕre, qua inter omnes, qui unquam Romae fuĕrunt, oratōres praestābat. Iam quum puer scholas celeberrimōrum magistrōrum frequentāret, nullus inter aequāles ei par fuit ingenio. Quod postea summa cum diligentia excoluit, quia intellegēbat, se nulla re magis quam eloquentia ad summos in re publĭca honōres viam sibi munīre posse. Ităque non solum Romae ei arti studiosissĭme opĕram dedit, sed etiam Athēnas se contŭlit, ubi sapientissĭmos tum apud Graecos viros, sive philosŏphos, et disertissĭmos oratōres magistros habuit. Quorum quidam quum Cicerōnem

dicentem audivisset, flevisse dicĭtur, quod per hunc Graecia eloquentiae laude privarētur.

Romam postquam revertit, multum in iudiciis et in Foro versabātur, quum homĭnes innocentes, ab inimīcis oppressos, defendĕret et perdĭtos homĭnes, qui, potentia alicuius maiōris freti, in bonos cives invehebantur, accusāret. Qua in re singulārem innocentiam, honestātem, libertātem praestĭtit.

Consul deinde factus, Catilīnae coniuratiōnem singulāri cum virtūte et constantia patefēcit et oppressit.

Nam Lucius Sergius Catilīna rei familiāris, quam profudĕrat, inopia multorumque scelĕrum conscientia in furōrem actus et dominatiōnis cupiditāte incensus, coniuratiōne facta, senātum confodĕre, consŭles trucidāre, urbem incendĕre, diripĕre aerarium constituĕrat. Et scelesta consilia essent perfecta, nisi illa coniuratio in Cicerōnem consŭlem incidisset. Qui, quum totam rem cognovisset, in senātu coram ipso Catilīna vehementissĭmam oratiōnem dixit, in qua consilia eius aperuit eumque ipsum hostem patriae, incendium rei publĭcae ferentem, palam appellāvit. Catilīna, incendium suum urbis ruīna se restinctūrum esse, minĭtans, Roma profūgit et ad exercĭtum, quem paravĕrat, proficiscĭtur, bellum illatūrus urbi. Sed socii eius, qui in urbe remansĕrant, comprehensi, in carcĕre necāti sunt. Senātor quidam, filium iuvĕnem, Catilīnae amicitiam secūtum inque castra eius ruentem, ex medio itinĕre retractum supplicio affēcit, quum dicĕret, non se Catilīnae illum adversus patriam, sed patriae adversus Catilīnam genuisse.

Tamen Catilīna ab incepto non destĭtit, sed Romam petens ab altĕro consŭle opprimĭtur. Quam atrocĭter pugnātum sit, exĭtus docuit: nemo hostium bello superfuit; quem quisque in pugna cepĕrat locum, eum, amissa anĭma, tegēbat. Catilīna longe a suis inter hostium cadavĕra repertus est. Pulcherrĭma mors esset, si pro patria sic concidisset! Senātus populusque Romānus Cicerōnem patrem patriae appellāvit.

Quum inter Caesārem et Pompeium ortae essent inimicitiae et, eas nisi bello dirĭmi non posse, apparēret, Cicĕro summo studio nitebātur, ut eos inter se reconciliāret et a belli civīlis calamitatĭbus deterrēret; quum autem neutrum ad pacem permovēre posset, Pompeium secūtus est. Sed, victo Pompeio, a Caesāre victōre veniam accēpit. Quo inter-



fecto, quum Antonius[1]) novum bellum civīle concitāre viderētur, eum vehementer impugnāvit et, quattuordĕcim orationĭbus contra eum dictis, senātum permōvit, ut eum hostem patriae iudicāret.

Sed Antonius, restitūtis suis rebus, Cicerōnem, iam diu sibi inimīcum, interficĕre decrēvit. Qua re audīta, Cicĕro in villam suam, quae a mari proxĭme abĕrat, fugit indeque navem conscendit, in Graeciam transitūrus. Unde aliquoties in mare provectum quum venti adversi rettulissent, taedĭum tandem fugae et vitae cepit eum, regressusque ad villam, „Moriar, inquit, in patria, a me saepe servāta“. Satis constat, appropinquantĭbus percussorĭbus, servos fortĭter domĭnum defendĕre parātos esse, ipsum vero depōni lectīcam et quiētos pati, quod sors cogĕret, iussisse. Praeminenti ex lectīca caput praecīsum est. Manus quoque abscīsae; caput relātum est ad Antonium eiusque iussu cum dextra manu in rostris posĭtum.

---

[1]) Antonius, другъ Цезаря, былъ при его жизни начальникомъ конницы и консуломъ.

Cicerōnem fuisse homĭnem illis temporĭbus eruditissĭmum omnes consentiunt. Nam non solum litterārum Latinārum, sed etiam Graecārum peritissĭmus fuit. Praeterea magnum in eo scriptōris ingenium fuisse constat. Ităque, ut civĭbus etiam otiōsus prodesset eosque doctiōres et sapientiōres facĕret et ad litterārum studia excitāret, multos libros composuit, in quibus lingua Latīna sapientiam Graecōrum illustrāvit. Sic facundiae et Latinārum litterārum parens factus est.

Императоръ Октавіанъ Августъ.

(Царствовалъ отъ 30 г. до Р. Х. до 14 г. по Р. Х.)

XVLI.

Octaviānus, Iuliae, Gaii Caesăris sorōris, nepos, ab avo adoptātus est eiusque heres in testamento scriptus. Ubi occīsum Caesărem heredemque se esse cognōvit, statim hereditātem adiit, nomen Caesăris sumpsit collectōque veteranōrum exercĭtu contra Antonium profectus est, qui Caesăris potentiam suscipĕre videbātur. Sed brevi, reconciliāta cum Antonio amicitia iunctisque cum eo copiis, ut Gaii Caesăris necem ulciscerētur, ad urbem hostilĭter accessit misitque, qui nomĭne exercĭtus sibi consulātum deposcĕrent. Cunctante senātu, centurio, princeps legatiōnis, reiecto sagŭlo, ostendens gladium, non dubitāvit in curia dicĕre: „Hic faciet, si vos non fecerĭtis“.

Ita Octaviānus vicesĭmo aetātis anno consul factus est. Tum foedus cum Antonio iniit, ut suos quisque inimīcos persequerētur. In quos crudelissĭme ab utrōque saevītum est. Multi tum nobilissĭmi patriaeque amantissĭmi viri, in his Cicĕro, periērunt.

Ne cum Antonio quidem amicitia fuit diuturna. Abalienātus est ab eo, quod is, repudiāta Octavia sorōre, Cleopătram, Aegypti regīnam, uxōrem duxĕrat. Res paulātim ad bellum venit. Tandem apud Actium, qui locus est in Epīro, navāli proelio dimicavērunt. Victum et fugientem Antonium persecūtus, Octaviānus Aegyptum petiit et Alexandrīam, quo Antonius cum Cleopătra confugĕrat, obsēdit. Antonius



Imperator Octavianus Augustus

in ultĭma desperatiōne quum habĭtu regis in solio regāli sedēret, mortem sibi ipse conscīvit. Cleopătra, quam Octaviānus, Alexandria capta, cupiēbat vivam deprehendĕre triumphōque servāre, anguem sibi afferri iussit eiusque morsu periit.

Tandem Octaviānus, hostĭbus victis, solus imperio potītus, clementissĭmum se praestĭtit. Multis ignōvit, etiam eis, qui saepe gravĭter eum offendērunt. Reversus in Italiam, triumphans Romam ingressus est. Maxĭmi honōres ei a senātu delāti sunt. Ipse Augustus nominātus et in honōrem eius octāvus mensis eōdem nomĭne appellātus est, quia illo mense bellis civilĭbus finis posĭtus erat. Etiam patris patriae cognōmen universi maxĭmo consensu ei detulērunt.

Pace firmāta, Augustus summo opĕre nitebātur, ut popŭlum, pravis morĭbus adsuētum, ad priscos illos mores, iustitiam deorumque cultum convertĕret. Quod quum intellegĕret optĭme se per littĕras ingenuasque artes assecutūrum esse, eas omni modo fovēbat. Nec frustra. Nam multa ingenia, pace et honōre, qui eis tribuebātur, exculta, brevi effloruērunt aetatīque Augusti tantum splendōrem addidērunt, quantus nullīus postĕrae aetātis proprius fuit. Et merĭto aurea aetas Latinārum litterārum nunc vocātur.

Ipsam quoque urbem, quam pro maiestāte imperii non satis ornātam invenĕrat, pulcherrĭmis exornāvit aedificiis. Et iure quidem gloriabātur, marmoream se relinquĕre, quam latericiam accepisset.

Ita per quadraginta quattuor annos maxĭma cum gloria regnāvit. Obiit septuagesĭmo sexto aetātis anno, quattuordĕcim annis post quam in Iudaea, qua regio, ut antea commemoravĭmus, potestāti Romanōrum subiecta erat, Christus, Vindex pericŭli nosti, natus est. Ei successit Tiberius, quo regnante Christus in cruce mortuus est.



Императоръ Неронъ. Пожаръ Рима. Гоненіе на христіанъ.

(Царствовалъ отъ 54 г. до 68 г. по Р. X.)

XLVII.

Nero, quintus imperator, iuvĕnis duodeviginti annōrum regno successit. Primo, dum bonos viros circum se habēbat, mitem et benevŏlum se praestĭtit; quum autem eos repudiasset, saevo ingenio suo indulgēre coepit crudelissimusque tyrannus factus est. Ac primum quidem in suis saevitiam ostendit: nam fratrem, uxōrem, etiam matrem interfēcit, postea nullum iam sibi nefas illicĭtum esse ratus, honestissĭmum quemque, ne incorruptum testem iniquitātis suae habēret, interficiēbat, privātos homĭnes, urbes, templa spoliābat nudabatque, quicquid ubīque pretiōsi erat, pervestigābat ac adimēbat. Malae conscientiae stimŭlis vexātus, dum eam comprimĕre conabātur, magnificentissĭmos ludos in Circo edēbat, ubi ipse aurīga spectabātur, aut in theātro citharoedi ornātu in scaenam prodībat cantabatque plaudente popŭlo.

